APPENDIX
HERMENEUTICAE
SEU
EXERCITATIONES EXEGETICAE.

AUCTORE

JOHANNE JAHN,

PHILOS. ET THEOLOG. DOCT., ECCL. METROPOL. AD S. STEPHANUM VIENNAE CANON. CAPIT., ARCHIEPISC. CONSISTORII CONSILIAR., OLIM, L. L. O. O. ARCHAEOL. BIBL. INTROD. IN V. T. ET DOGM. PROF. CAES. REG. P. ET O.

FASCICULUS II.
VATICINIA DE MESSIA.



VIENNAE, 1815.

IN LIBRARIA CAMESINAE.

Ω ανοητοι και βραδεις τῃ καρδιᾳ τȣπιστευειν ἐπι πασιν, ὁις ελαλησαν ὁι προφηται! Ουχι ταυτα εδει παθειν τον Χριστον, και εισελθειν εις την δοξαν ἀυτȣ; Και αρξαμενος απο Μωυσεως και απο παντων των προφητων διηρμενευεν αυτοις εν πασαις ταις γραφαις τα περι ἀυτȣ. Luc. 24, 25 — 27.

Exercitationes exegeticae in vaticiniis Messiam promittentibus.

Jes. 52, 13.

הִנֵּה יַשְׂכִּיל עַבְדִּי יָרוּם וְנִשָּׂא וְגָבַהּ מְאֹד ecce servus meus prospere aget, excelsus erit, et exaltabitur, et sublimis erit valde. — IV. הִשְׂכִּיל non tantum est attendit, intellexit, prudenter egit, et intelligentem reddidit, seu edocuit, sed etiam prosperum reddidit, et prospere seu cum bono successu egit, ut ex 2 Reg. 18, 7. Jos. 1, 8. Prov. 17, 8. Jer. 10, 21. ac ex 1 Reg. 2, 3. Deut. 29, 8. aliquet, atque hanc ultimam notionem nostro loco obtinere, apparet ex celsitudine, de qua mox mentio occurrit, et ex loco parallelo Jes. 53, 10., ubi voluntas seu consilium Dei per eundem hunc servum prospere succedet, יִצְלָח. Perperam igitur vertit Alexandrinus: συνήσει, Vulgatus: intelliget, ac Syrus מְסַתְכַּל, quod quidem idem verbum est, ast non significat prospere agens, sed intelligens (erit); recte Chaldaeus יַצְלַח prospere aget. — Verba sequentia יָרוּם וְנִשָּׂא וְגָבַהּ synonyma sunt, quae insignem

eminentiam et sublimitatem diligentius commendant. — Chaldeus post עַבְדִּי addit מְשִׁיחָא

Jes. 52, 14.

כַּאֲשֶׁר שָׁמְמוּ עָלֶיךָ רַבִּים כֵּן מִשְׁחַת מֵאִישׁ מַרְאֵהוּ וְתֹאֲרוֹ מִבְּנֵי אָדָם sicut obstupuerunt super te (eum) multi, adeo deformatus erat aspectus ejus prae viro, et forma ejus prae filiis hominis, i.e. adeo deformata erat species et forma ejus ut nullius viri, nullius hominis, seu ut nullius alterius. — עָלֶיךָ super te, mutatio est personae, prophetis valde familiaris, pro עָלָיו super eum, ut vertunt Syrus et Chaldaeus. — רַבִּים multi, respondet mox sequenti v. 15. גּוֹיִם רַבִּים et 53, 11. 12. רַבִּים et לָרַבִּים, ex qua collatione patet, gentes, a vero Deo alienas, indicari, quod confirmatur per reges, qui versu sequenti memorantur. — כֵּן sic, adeo, non designat apodosin, quae v. 15. demum sequitur, sed refertur ad membrum praecedens; ratio enim redditur, cur multi obstupuerint. — מִשְׁחַת (st. const. ante praefixum Mem, ex Grammatica notus) corruptio, deformatio, seu deformatus, aut corruptus, prout vertit Syrus: מְחַבַּל; Alexandrinus autem αδοξησει, et Vulgatus: inglorius erit, quod praeterea vertendum fuisset in praeterito tempore. — Praefixum Mem ante אִישׁ et בְּנֵי אָדָם est negativum, quod interdum, uti nostro loco gradum comparativum aut superlativum exprimit, de quo vide meam Grammat. L. H. §. 121. p. 419 — 421. — מַרְאֵהוּ aspectus, venit hoc loco pro specie vel figura, quae aspicitur, ut vertit Alexandrinus,

εἶδος; synonymum est תֹּאַר forma, a תָּאַר designatus fuit, terminatus fuit, in II. delineavit, cui propinquum est Syr. אֶתְתָאַר terminatus, determinatus fuit. — אִישׁ oppositum בְּנֵי אָדָם, est vir insignis, vel collective insignes; et filii hominis sunt plebeji; sensus itaque est: species et forma ejus magis deformata est, quam species et forma ullius viri insignis, imo quam hominum plebejorum, verbo: omnium deterrima. Conf. Herm. meam §. 41. p. 128. — Operae pretium erit, cuilibet versui Chaldaicam singulorum versuum paraphrasim subjungere, ut appareat, quantum Jonathan evagatus fuerit, ut Messiam victorem gentium exsculperet; transfert itaque haec duo membra: sicut exspectavit ipsum (Messiam) domus Israel diebus multis, qui erat pauper (vel obscurus חָשֵׁךְ) inter populos; aspectus eorum et splendor eorum erit prae filiis hominum; id quidem est, sensum pro arbitrio pervertere.

Jes. 52, 15.

כֵּן יַזֶּה גּוֹיִם רַבִּים עָלָיו יִקְפְּצוּ מְלָכִים פִּיהֶם sic asperget (expiabit) gentes multas; super ipsum occludent reges os suum. De ethnicis esse sermonem, manifes .t, et confirmatur loco parallelo 53, 11 — 12., ubi rursus occurrunt רַבִּים, et qui hic מְלָכִים, ibi vocantur עֲצוּמִים potentes. — יַזֶּה, IV. a נָזָה sparsit, et aspersus fuit, de liquidis dicitur Lev. 6, 20. (27.) 2 Reg. 9, 33. Jes. 63, 3.; IV. הִזָּה sparsit, aspersit. Con-

ferri solet نَزَّ assilivit, impetum fecit; effluxit sanguis, sanguine manavit vulnus; exsultavit prae gaudio, quod huc transferunt, ut יַזֶּה sit faciet exsultare prae gaudio, vel, quod alii vi extundunt: horrore percellet, quae utraque notio in verbo hoc Hebraico, sat frequenti, alias nunquam occurrit; quare absque sufficiente ratione huc trahitur, inprimis cum notio aspergendi, usu frequenti trita, sensum aptum fundat, imo per parallelum locum flagitetur. Occurrit verbum הִזָּה persaepe de sparsione sanguinis victimarum ad expiationem, ut Lev. 4, 6. 17. 5, 9.; de aspersione leprosi sanati Lev. 14, 7. 16. 27. 51., et de aspersione aquae lustralis ad lustrationem seu purificationem immundi, Num. 19, 18 — 19. Aspersio autem sanguinis et aquae lustralis, est symbolum expiationis et purificationis; quare nostro loco יַזֶּה asperget, idem est ac expiabit, purificabit, quod confirmatur non modo his, quae 53, 3 — 10. de expiatione peccatorum alienorum per passionem et mortem hujus servi, sequuntur, sed etiam loco, ut mox supra memoravimus, parallelo, 53, 11., ubi idem exprimitur per יַצְדִּיק צַדִּיק עַבְדִּי לָרַבִּים justos reddet justus servus meus multos, i. e., multos constituet immunes a poena, seu expiabit. Verbum הִזָּה construitur quidem plerumque, cum אֶל vel עַל, sed reperitur Lev. 5, 6. 17. etiam cum Accusativo; unde apparet, falli eos, qui sequens עָלָיו ad hanc sententiam retrahunt. Hanc veram notionem verbi יַזֶּה solus vidit Syrus, qui ver-

tit: מַדְכֵּא purificans (erit), huic proximus est Vulgatus: asperget; Alexandrinus autem inepte *θαυμασονται εθνη πολλα επ' αυτω*. — קָפַץ פִּיו occlusit, obturavit os suum, de admirante et obmutescente prae confusione, stupore aut reverentia, dicitur Job. 5, 16, Ps. 107, 42.; alias de occlusa seu cohibita misericordia, Ps. 77, 10., et de occlusa seu parca manu erga pauperes Deut. 15, 7. usurpatur; affine est قَفَصَ pedibus seu quadrupedem constrinxit, dorcadem constrictum prehendit, partes invicem propinquas habuit res. — Chaldaeus: sic disperget populos multos, super eum conticescent reges, ponent manus suas super os suum. Ast נָזָה et הִזָּה perpetuo et constanter de liquidis usurpatur, nunquam de dispersione populorum.

כִּי אֲשֶׁר לֹא סֻפַּר לָהֶם רָאוּ וַאֲשֶׁר לֹא שָׁמְעוּ הִתְבּוֹנָנוּ quia, quod nunquam fuit illis narratnm, videbunt, et quod nunquam audierunt, percipient, nempe servum illum Dei, adeo deformatum, ad tantam celsitudinem et eminentiam esse evectum. Ex his rursus apparet, loquentes esse ethnicos, quibus id antea non innotuit. — רָאוּ videbunt, et הִתְבּוֹנָנוּ sibi respondent; quare hoc ultimum non est, ut Vulgatus reddit: contemplati sunt, nec ut Syrus et Alexandrinus vertunt: intelligent, quod aliunde non respondet praecedenti; non audierunt, sed est percipient, audient, ut Job. 30, 20. Ipsum quoque verbum רָאוּ de perceptione seu

auditione intelligi potest; nam רָאָה non de solis oculis, sed etiam de aliis sensibus, et de ipsa etiam mente usurpatur, ut alibi diximus; atque de auditu occurrit Exod. 20, 18. 22. Jer. 33, 24. Versionem Alexandrinam adducit Paulus Rom. 15, 21. ὁις ὀυκ ανηγγελη περι αυτȣ, οψονται, και ὁι ȣκ ακηκοασι συνησȣσι. Chaldaeus: quia quod non narraverunt eis, videbunt, et quod non audierunt, intelligent.

Jes. 53, 1.

מִי הֶאֱמִין לִשְׁמֻעָתֵנוּ וּזְרוֹעַ יְיָ עַל מִי נִגְלָתָה quis credit nuncio nostro? et brachium Jehovae cui revelatur? — שְׁמֻעָה est propric Participium passivum foemininum, audita, seu loco neutrius quod auditur, et ita suffixum נוּ est significationis passivae, quod a nobis auditur, fere incredibile est; ita non modo sequenti membro, sed etiam sequentibus versibus 2 — 9. apprime congruit, siquidem in his sunt iidem, qui v. 1. loquuntur, et exponunt, quidnam tam admirandum audiverint. Nec desunt loca, in quibus שְׁמֻעָה est id, quod auditur, ut Jes. 28, 9. 19. Jer. 51, 46. 1 Reg. 10, 7. Verbum quoque הֶאֱמִין construitur cum Lamed ante דָּבָר, uti hic ante שְׁמֻעָתֵנוּ, 1 Reg. 10, 7. 2 Paral. 9, 6. Ps. 106, 24. Ita Graecam quoque vocem ακοη usurpari, docuit Schleusnerus in Lexic. in N. T. P. I. p. 87.; quare et versio Alexandrina: τις επιςευσε τῃ ακοῃ ἡμων, et Vulgata: quis credidit auditui notro, hoc sensu intelligi posset, nisi, in Alexandrina saltem, sequentia ob-

starent. Alii tamen omnes cum Chaldaeo suffixum intelligunt active, uti etiam nos supra vertimus, quod autem parum commodum est, quia hac ratione v. 1. loquuntur annunciantes, et v. 2 — 9. ii, quibus annunciatur, cum tamen nulla adsit ratio, qua moveamur ad statuendos diversos loquentes — נִגְלָתָה revelatur, VII. a גָּלָה revelavit, quod non solum cum praefixo Lamed, sed etiam cum עַל construitur, ut Jer. 10, 20. Jes. 29, 12. 36, 12. Brachium, sicut manus, indicat potentiam. Cui brachium operantis revelatur, is conspicit operantem, et cognoscit cujus sit opus. Sensus itaque est, quis perspicit, esse opus Jehovae? nempe illud, quod v. 2 — 9. describitur. Nescio unde sumtum sit, quod Bauerus in Scholiis adserit, hanc phrasim significare; quis de potentia Jehovae convincitur? quod nullo argumento comprobavit. Chaldaeus: quis credit huic nuncio nostro? et potentia brachii fortitudinis Jehovae cui revelatur? Johannes c. 12, 38. et Paulus Rom. 10, 16. adducunt hunc locum ex versione Alexandrina: *κυριε τις επιστευσε τῃ ακοῃ ἡμων; και ὁ βραχιων κυριυ τινι απεκαλυφθη;*

Jes. 53, 2.

וַיַּעַל כַּיּוֹנֵק לְפָנָיו וּכְשֹׁרֶשׁ מֵאֶרֶץ צִיָּה nam succrevit ut surculus coram eo (coram Jehova, de cujus brachio sermo praecessit), et sicut radix e terra arida. — עָלָה non tantum est ascendit, sed etiam crevit, ut غلا alti pretii fuit, et in

altum exerevit herba, et عَلَا ascendit, summum tenuit, excelsus fuit; עָלָה notione crescendi occurrit etiam Gen. 40, 1. 41, 22. 49, 9. Deut, 29, 22. Jes. 5, 6. 55, 13, Alexandrinus verbum hoc omisit, vel substituit ανηγγειλαμεν, annunciavimus, respexit nempe ad phrasim ακοη ἡμων, quam active intellexit, et oblitus est verbi וַיַּעַל; Schleusnerus vero in Opusc. Crit. p. 356 — 357. arbitratur, esse mendum ortum ex ανετειλατο, vel ex ανετειλε μεν. — יונק duntaxat hoc loco occurrit, participium a יָנַק suxit, adeoque sugens, substantive autem usurpatum, ut foemininum יוֹנֶקֶת, surculus qui alimentum ex arbore vel radice ejus, vel ex terra sugit, Job. 8, 16. 14, 7. 15, 30. Ps. 80, 12. Alexandrinus tropum sustulit, et vertit ὡς παιδιον; et hunc secutus est Syrus ܐܝܟ ܝܠܘܕܐ sicut puer. — לְפָנָיו coram eo, respicere ad praecedens v. 1. יהוה, manifestum est. — שֹׁרֶשׁ radix, figit notionem praecedentis יונק ad surculum, e radice arboris excisae excrescentem, conf. Jes. 11, 1. — צִיָּה arida, a صَوَا exaruit palma, unde صُوَّةٌ pars terrae altior duriorque, et صَاوِيَةٌ صَاوٍ siccus, sicca; Aram. צְחָא sitivit. Sistitur itaque ille servus Dei ut surculus ex radicibus arboris succisae e terra arida, adeoque ut tenuis, excrescens, i. e., e familia olim, instar magnae arboris, excelsa et eminenti, nunc autem a humiliata et fere ad incitas redact ortus,

et tenuiter educatus, conf. Jes. 11, 1. Id mox sequentibus magis explicatur.

לֹא תֹאַר לוֹ וְלֹא הָדָר וְנִרְאֵהוּ וְלֹא מַרְאֶה וְנֶחְמְדֵהוּ nec forma, nec decor erat ei, ut eum respiceremus, neque aspectus, ut eum desideraremus. Duo membra prorsus synonyma: forma, decor, aspectus seu species insignem aliquem habitum externum et dignitatem indicant; et videre saepe est cum voluptate et gaudio videre, adeoque idem ac desiderare. De spectabili et pulcra forma תֹּאַר occurrit 1 Sam. 16, 18. אִישׁ תֹּאַר vir formae, i. e. pulcer. — הָדָר de singulari habitu externo, de gloriosa forma, decore, majestate dici, notissimum est. — מַרְאֶה pro specie, quae conspicitur, venire supra annotavimus. — וְנֶחְמְדֵהוּ Syrus vertit: ודגלניהי et abnegavimus eum, quod plus dicit quam verbum Hebraicum, nisi μειωσιν statuas. Symmachus in Comment. Procopii p. 600. vertit. ȣκ ειδος αυτȣ, ȣδε αξιωμα, ἱνα ειδωμεν αυτο, ȣδε θεωρια, ἱνα επιθυμησωμεν αυτον. Chaldaeus integrum versum circumloquitur, vel potius pervertit: et magnificabitur justus coram eo; sicut surculi florentes, et sicut arbor emittens radices suas juxta torrentes aquarum: sic multiplicabitur gens sancta in regione, quae indigebat eo. Non erat aspectus ejus sicut aspectus communis, nec timor ejus sicut timor idiotae, sed decor ejus erit decor sanctus, ut omnis, qui videt eum, contempletur ipsum. Haec magna ex parte

contraria sunt illis, quae textus Hebraeus eloquitur. — Notatu dignum est, etiam Vulgatum tempora Verborum Hebraicorum minime curasse; vertit enim: „ascendet . . ., nec est species ei . ., et vidimus . ., et non erat aspectus, et desideravimus eum.

Jes. 53, 3.

נִבְזֶה וַחֲדַל אִישִׁים despectus et novissimus virorum. — חָדַל cessavit, destitit, omisit, quievit, caducus et imbecillis fuit = خَذَلَ debilis, flaccidus fuit, et transitive frustratus est, auxilio destituit, alienavit socios ab aliquo, effecitque ut amicum destituerent; contemsit, reliquit, quae duae notiones sat arcte cohaerent; nam qui relinquit, fere contemnit, et vicissim. Nomen חָדֵל Ezech. 3, 27. certo designat eum, qui omittit auscultare, quae notio autem huc non facit; Ps. 39, 5. est caducus, flaccidus, quae notio etiam Job. 14. 7. locum habet: surculus ejus לֹא תֶחְדָּל non flaccescit, non est caducus; quod si ad nostrum locum transferamus, erit imbecillimus, vel ut Vulgatus vertit: novissimus, vel vilissimus virorum. Alexandrinus vertit εκλειπων deficiens; Syrus: מכיכא humillimus hominum; recentioribus autem placet vertere ope destitutus, derelictus, repudiatus ab omnibus, sicut مَخْذُولٌ est destitutus ope, derelictus, contemtus. Symmachus in Comment. Procopii p. 600 vertit: εξȣδενωμενος

και ελαχιςτος ανδρων. Chaldaeus: erit in contemtum, verum auferet gloriam omnium regnorum; ast de hoc in textu Hebraico nihil legitur. אִישׁ מַכְאֹבוֹת וִידוּעַ חֹלִי וּכְמַסְתֵּר פָּנִים מִמֶּנּוּ afflictus doloribus, notabilis morbo, et sicut tegens faciem suam a nobis. — אִישׁ מַכְאֹבוֹת vir dolorum, i. e., doloribus afflictus vel conflictans, uti Symmachus in Comment. Procop. p. 600 ανης επιπονος nempe ut אִישׁ אָוֶן vir iniquitatis, i. e., malus; אִישׁ שֶׂכֶל vir intelligentiae, i. e., intelligens; אִישׁ מִלְחָמָה vir belli, i. e., bellator, miles. — כָּאַב doluit dolorem passus est = كَئِبَ malo statu, moesto animo fuit, molestia et dolore languit. Syrus vocem retinuit: ܓܒܪܐ ܕܟܐܒܐ, et ita quoque Chaldaeus אֱנָשׁ כְּאֵבִים vir dolorum. — יְדוּעַ חֹלִי qui agnoscitur morbo, notus morbo, Symmachus l. c. γνωςτος νοσω; minus recte autem Alexandrinus; ειδως φερειν μαλακιαν; et Vulgatus: scientem infirmitatem; ac Syrus: ܝܕܥ sciens. — חֹלִי cum accentu, alias חֳלִי, morbus, infirmitas, a חָלָה debilis, infirmus fuit, aegrotavit = حَلَى trivit; transfertur autem etiam ad vulnerationem 1 Reg. 22, 34. 2 Paral. 18, 33. 35, 23. 26.; unde et חֳלִי vulnus significare posset, quod ex v. 4 מְחֹלָל confirmari posset. Quidquid sit: morbi, vulnera, et dolores per metonymiam frequentissimam veniunt pro poenis, exempla vide Ps. 38, 5 — 6. 9. 11. 41, 5. 9. 103, 2 — 3. Ezech. 33, 10. Jes. 1, 4 — 6. Jesu

Sirach. 18, 19 — 21. Joh. 5, 4. 9, 2 — 5. Matth. 9, 5 — 6. Luc. 7, 47 — 48. Hic tropus in ipsa quoque etymologia notionum observatur, nam بَرَأَ non tantum est creavit, dein liber, immunis, innoxius fuit, sed etiam sanatus fuit, convaluit, et بُرْءُ السَّعَة sanatio momentanea, de miraculis Jesu usurpatur. Ita etiam عَفَا non tantum est; obliteravit ventus locum mansionis, et condonavit delictum, sed in III. etiam sanitati restituit Deus et عَافِيَة sanatio, et condonatio, conf. Abulfed. Annal. Mosl. T. II. p. 266 T. III. p. 296 et T. IV. p. 250. In Arabicis Bibliorum versionibus hi horum verborum tropi frequenter occurrunt, unde eorundem vulgaris usus elucet. — Ultima verba male Syrus vertit: avertimus facies nostras ab eo. — Faciem velabant vel ex reverentia, ut Exod. 3, 6.; vel qui aliquid horrebant et videre nolebant; vel ex verecundia ut leprosi, quod nostro loco obtinet. Chaldaeus: en sicut vir dolorum et destinatus morbis, et cum subtrahebat vultum majestatis a nobis, eramus despecti et in nihilum reputati; nempe inepte annexa sunt verba mox subsequentia.

נִבְזֶה וְלֹא חֲשַׁבְנֻהוּ despectus erat, ut non reputaremus eum. — נִבְזֶה putavit Syrus esse Aoristum II. formae primae; vertit enim addito suffixo: ܫܛܢܝܗܝ sprevimus eum; Alexandrinus sen-

sum secutus sed minus adcurate exprimit: ητιμασϑη και ȣκ ελογισϑη

Sensus v. 2 — 3. eo redit: ex familia humiliata ortus, adolevit sine insigni forma aut dignitate; hinc minime conspicuus, sed contemtus erat, imo doloribus afflictus, notabilis morbis seu poenis; quare nequaquam aestimabamus eum. — Se autem longe aberrasse, profitentur mox verbis sequentibus.

Jes. 53, 4.

אָכֵן חֳלָיֵנוּ הוּא נָשָׂא וּמַכְאֹבֵינוּ סְבָלָם verum morbos notros ille tulit, et dolores nostros portavit. — אָכֵן Alexandrinus: ȣτος, ortum ex ουτως, vere, quod Vulgatus et Syrus retinuit; verum אָכֵן h. l. est particula adversativa: verum, ast. חֳלָיֵנוּ est חֳלָיִים cum suff., et plene scribendum esset חֳלָיֵינוּ quod reapse exhibent codd. 11., pr. 1. Biblia Veneta 1525 — 28, et aliae recentiores editiones 17. Singularem חָלְיֵנוּ habent quidem 6 codd., pr. 3., et Biblia Soncinensia, sed omnes antiqui reliquis codicibus consentiunt, et exprimunt pluralem. Alexandrinus vertit: τας ἁμαρτιας ἡμων, quia nempe morbi spectabantur ut effectus seu poenae peccatorum; alterum membrum vertit και περι ἡμων οδυναται, non inepte; loquentes enim profitentur, hunc Dei servum poenas ipsorum tolerasse. — Morbi et dolores per metonymiam rursus veniunt pro poenis peccatorum. — נָשָׂא et סָבַל quidem synonyma sunt, sed ultimum ab Hebraeis et Aramaeis de molestioribus oneribus usurpatur, Jes. 46, 4. 7. Gen. 49, 15. — Ante סְבָלָם inserunt הוּא codd. 13, pr. 5, nunc 3, Biblia Münsteri

1534 et 1546, et Jesaias polygl. Thess. sine anno, nec non Syrus et Vulgatus, et plures editiones habont in margine הוּא קְרִי; id sensum non afficit. Locus hic, ex textu Hebraico traductus, transfertur Matth. 8, 17. ad sanationes morborum per Jesum: *αυτος τας ασθενειας ἡμων ελαβε, και τας νοσους εβαστασεν*, — Chaldaeus: propterea ipse deprecabitur pro peccatis nostris, et delicta nostra propter eum dimittentur; nempe morbos et dolores recte intelligit de peccatis seu poenis peccatorum, sed ferre male explicat auferre; nam est, ut constat, tolerare poenam.

וַאֲנַחְנוּ חֲשַׁבְנֻהוּ נָגוּעַ מֻכֵּה אֱלֹהִים וּמְעֻנֶּה nos quidem putavimus eum a Deo caesum, percussum et afflictum. — נָגוּעַ generatim de ictu seu poena divina dicitur Ps. 73, 14. coll. v. 5., et נֶגַע quidem non raro de lepra usurpatur, propterea autem nostro loco sine omni alio iudicio de hoc morbo cogitandum non est, ut Vulgatus male vertit: quasi leprosum. — Pro מֻכֵּה habent quidem 15 editiones et duo codices מֻכָּה, sed mendum est; nam omnes veteres excepto Alexandrino, qui vocem Deus omisit, exprimunt statum constructum, qui cum participio passivo indicat Ablativum cum Praepositione. Conjunctionem Vau praemittunt quidem Alexandrinus, Syrus et Vulgatus, sed reperitur duntaxat in 3 codicibus Hebr.; quare illi interpretes proprio motu eam addidisse videntur. Verbum הִכָּה percussit, generatim quidem dicitur de poena divina, sed etiam de morbis immissis saepe recurrit Num. 14, 12. Deut.

28, 22. 27.— 28. 35. 1 Sam. 5, 9. Exod. 9, 15. Ceterum ex oppositione prioris et sequentis membri abunde liquet, intelligendum esse, eos existimasse, hunc Dei servum ob propria peccata fuisse a Deo punitum. Chaldaeus: et nos reputamur caesi, percussi a Jehova et afflicti. Quanta textus Hebraici inversio!

Jes. 53., 5.

וְהוּא מְחֹלָל מִפְּשָׁעֵינוּ מְדֻכָּא מֵעֲוֹנֹתֵינוּ ipse autem perfossus est ob praevaricationes nostras, contritus est ob iniquitates nostras. — מְחֹלָל tantum hoc loco occurrit, III. pass. a חָלַל perforavit, ut non modo ex derivatis, חַלּוֹן fenestra, חָלִיל tibia, et ex phrasi חַלְלֵי חֶרֶב perfossi gladio, et latius חַלְלֵי רָעָב peremti fame, Thren. 4, 9., apparet, sed etiam collato خَلَّ confirmatur, quod praeter non pauca alia etiam significat fidit linguam vel in lingua pullum camelinum, ne lactaret. Alexandrinus: ετραυματισθη; et Vulgatus: vulneratus est, quod verbum significare potest; Syrus autem מֵתְקְטֵל occisus, uti חַלְלֵי חֶרֶב et הֲלָלִים persaepe de interfectis occurrit, Gen. 34, 27. 2. Sam. 1, 19. Jes. 14, 18. 22, 2. Ezech. 31, 17—18. 32, 20—32. 35, 8. — מְדֻכָּא attritus, contritus; דָּכָא contrivit et comminuit, frequentibus ictibus contudit Jes. 19, 10., et hinc tropice violentam et frequentiorem laesionem significat usque ad vehementem oppressionem et ad ipsum quoque exitium, Job. 22, 9. Ps. 72, 4. 89, 10. 94, 5. Jes. 3, 15. 41, 10. — Mem

praefixum valere etiam ob, propter, ostendimus in Grammatica L. H. §. 121. p. 422. Nro. 4. — Chaldaeus: et ipse aedificabit domum sanctuarii, quod violatum est propter peccata nostra, et traditum est propter iniquitates nostras (: !!:)

מוּסַר שְׁלוֹמֵנוּ עָלָיו וּבַחֲבֻרָתוֹ נִרְפָּא לָנוּ, castigatio salutis nostrae super eum fuit, et vibice, vel vulnere ejus sanati sumus. — מוּסָר est coërcitio seu correctio vel castigatio, quae fit jam per doctrinam et per monita, jam per poenam immissam, quam hic contextus flagitat; יָסַר erudivit, monuit, castigavit, punivit. שָׁלוֹם pax, incolumitas, omnis generis felicitas, seu salus; מוּסַר שְׁלוֹמֵנוּ est poena, qua nobis salus, felicitas, immunitas a poena procuratur, uti mox sequenti membro explicabitur. — חַבּוּרָה est vel vulnus, vel cicatrix, ut Syr. חַבּוּרְתָא; et ut حبر praeter alia etiam significat recruduit vulnus; vel vibex, qui Ps. 38, 6. tabescit; Jer. 13, 23. vox occurrit de maculis pardi, quae aliqua ratione vibicibus, sed non minus vulneribus similes videri possunt; plerumque jungitur ei פֶּצַע Gen. 4, 23. Exod. 21, 25. Prov. 20, 30. Jes. 1, 6., quod si vulnus vel forte contusio est, apte respondebit vibex, quae a sanguinis collectione dici potest, a חָבַר conjunxit, consociavit, et conjunctus, consociatus fuit. Vulgatus vertit: livore ejus; Syrus, qui vocem Hebraicam potuisset retinere, maluit vertere בְּשׁוּמְתֵהּ cicatrice

ejus, Alexandrinus τῳ μωλωπι αυτȣ, qui teste Hesychio in Bielii Thesaur. Philol. II. p. 375 est vulnus, locus ex plaga sanguinolentus, cruentus dolor ex contusione vel plaga ortus — נִרְפָּא לָנוּ sanatum est nobis, i. e., sanati sumus; ablato tropo, ut supra ad v. 3. ex etymologia notionum Arabica ostendimus: immunitas a poena nobis obtigit. Sententiam hanc ex versione Alexandrina, parum immutatam, adducit Petrus 1 ep. 2, 24. ȣ τῳ μωλωπι ιαϑητε. — Chaldaeus: et in doctrina ejus multiplicabitur pax super nos, et cum obedierimus verbis ejus, dimittentur peccata nostra. Si id est interpretari, ex quocunque loco, quae placent, extundi poterunt.

Jes. 53, 6.

כֻּלָּנוּ כַּצֹּאן תָּעִינוּ אִישׁ לְדַרְכּוֹ פָּנִינוּ nos omnes sicut oves errabamus, quilibet in viam suam declinabamus. — תָּעָה Aram. טְעָא = طغا, طغي et طغى, aberravit, oberravit, erravit, vagatus est; Psaltes profugus errat sicut ovis Ps. 119, 176.; alias haec comparatio indicat aberrationem moralem a mandatis divinis, quae rectum tramitem praefiniunt, Ps. 58, 4. 95, 10. Ezech. 14, 11. 48. 11. Jes. 29, 24. — אִישׁ Vulgatus recte vertit: unusquisque; ad literam autem Alexandrinus ανϑρωπος. — לְדַרְכּוֹ in viam suam declinabamus, vel nos vertimus, i. e., consiliis nostris erroneis obsecuti sumus. Loquentes his exprimunt sua erronea consilia, studia mala, seu iniquitates suas, et inprimis religio-

nem falsam, cui adhaerebant, ut طغوى exorbitantia, transgressio, et usus verbi Syriaci מטעיא de haeresi, et in Thalmude de idololatria, innuit. Hunc locum respexit Petrus 1 ep. 2, 25. ητε γαρ ὡς προβατα πλανωμενα. — Chaldaeus: nos omnes quasi oves dispersi sumus (in praesenti exilio), unusquisque versus viam suam migravimus, quod repugnat sequentibus, in quibus de aberratione morali sermo est.

וַיְיָ הִפְגִּיעַ בּוֹ אֵת עֲוֺן כֻּלָּנוּ Jehova autem immisit in eum iniquitatem omnium nostrum. — הִפְגִּיעַ, quod Syrus eodem verbo אַפְגַּע reddidit, est proprie fecit occurrere, incurrere, irruere; פָּגַע occurrit hostiliter, vel amice, unde forma IV. est etiam intercedere, qua notione occurret infra v. 12.; non longe abit فجع afflixit, moerore affecit. עָוֺן iniquitas, metonymice et collective significat, ut alias persaepe, poenas iniquitatum. Alexandrinus circumloquitur: κυριος παρεδωκεν αυτον ταις ἁμαρτιαις ἡμων — Chaldaeus: a facie Jehovae voluntas fuit, ut propter eum peccata nostra dimittat.

Jes. 53, 7.

נִגַּשׂ וְהוּא נַעֲנֶה וְלֹא יִפְתַּח פִּיו exigebatur, et ipse subjecit se, et non aperiebat os suum. — נָגַשׂ eum rigore exegit; VII. נִגַּשׂ rigorose exactum fuit, ut alibi docuimus, conf. ad Zach. 9, 9. Alexandrinus verbum hoc omisit.

Syrus vertit קְרֵב appropinquavit, i. e, נִגַּשׁ quod reapse exhibent 4 codd. de Rossi et 1 pr., ac aliquae editiones; verum hi pauci testes, repugnantibus omnibus reliquis, audiendi non sunt, inprimis cum recepta lectio optimum sensum fundat; exigebatur nempe rigorose illa poena iniquitatum. — נַעֲנֶה verti solet cum Syro et Alexandrino humiliatus, vel afflictus est, quod verbum alias significat; verum praecedens exigebatur poena, et sequens non aperiebat os suum, exigit notionem: subjecit, vel humiliavit se, uti et verbum versionis Syriacae אֶתְמַכַּךְ intelligi potest. Notio reciproca in forma VII. satis frequens est, uti longa exemplorum serie comprobavit C. B. Michaelis in Lumin. Syriac. in Sylloge Commentt. Pott. T. I. p. 206. seqq. conf. meam Gramm. L. H. §. 52. p. 157 — 158. Idem circumlocutione expressit Vulgatus: oblatus est, quia ipse voluit. Chaldaeus: deprecatus est, et ipse exauditus est, et antequam aperiret os suum, acceptus fuit. Unde haec, quae in textu Hebraico non sunt, corrasit?

Iam sequitur, qua ratione poena iniquitatum alienarum exacta fuerit, et qua ratione servus Dei illam exceperit. כַּשֶּׂה לַטֶּבַח יוּבָל וּכְרָחֵל לִפְנֵי גֹזְזֶיהָ נֶאֱלָמָה וְלֹא יִפְתַּח פִּיו sicut agnus ad mactationem ductus est, et sicut ovis ante tonsores suos obmutescebat, nec aperiebat os suum, — שֶׂה — شَاةٌ, pro شَاهَةٌ, ovis, capra, nomen unitatis, quod respondet collectivo צֹאן; vertimus agnus ob

mox sequens nomen ovis, ut nomina varienius. — יוּבַל IV. pass. ab inus. יְבַל Aram. descendit, = وبل imbrem effudit, quasi fecit descendere. — רָחֵל ovis adulta foemella, non occurrit nisi Gen. 32, 15. 31, 38. et Cant. 6, 6.; Arabibus رَخِل, رِخْل, et رِخْلَة, (: non رحل, ut habet Gesenius:) est agna. — גָּזַז Hebr. et Aram. = جَزّ totondit, abscidit, resecuit. — נֶאֱלָם obmutuit, quasi ore ligatus fuit, VII. ab אָלַם colligavit, Syris iratus fuit; أَلِمَ dolorem sensit, quasi a colligatione. — Observatu digna est inconstantia temporum in versione Vulgata: „ oblatus est, quia ipse voluit, - - non aperuit - - -, ducetur, - - - obmutescet, non aperiet. „ Hunc locum respexit Johannes Baptista Joh. 1, 29.: ἴδε ὁ ἀμνὸς τῦ Θεῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τῦ κόσμῦ, quocum conf. 1. Petr. 1, 18—19. et Act. 8, 32 35., ubi locus ex versione Alexandrina adducitur. — Chaldaeus: robustos populorum quasi agnum ad victimam tradet et sicut ovem, quae coram tondente se tacet, et non erit, qui os aperiat in conspectu ejus, et loquatur verbum (!!!)

Jes. 53, 8.

מֵעֹצֶר וּמִמִּשְׁפָּט לֻקָּח וְאֶת־דּוֹרוֹ מִי יְשׂוֹחֵחַ ex oppressione et judicio sublatus est; generationem autem ejus quis enuncia-

bit? — עָצַר quidem est clausit, occlusit, continuit, et עֹצֶר occlusio Prov. 30, 16., atque id est عصر cohibuit, detinuit, prohibuit; verum עֹצֶר Ps. 107, 39., flagitante contextu, est oppressio, ab عصر, quod praeter alia significat expressit succum, pressit uvas; atque ita fere vertit Alexandrinus: εν τῃ ταπεινωσει, et Vulgatus: de angustia; Syrus autem ܡܢ ܚܒܘܫܝܐ ex carcere vel inclusione. — מִשְׁפָּט hoc loco vel forum seu tribunal est, vel sententia judicis condemnantis. Per hendiadin utraque haec vox idem valet ac: ex opprimente judicio, seu judicio oppressus. Alexandrinus neglexit conjunctionem Vau, et vertit: εν τῃ ταπεινωσει ἡ κρισις αυτε ηρϑη. — דּוֹר generatio vel praesens, vel praeterita, vel futura, quam ultimam h. l. intelligendam esse, tam membrum praecedens, quam locus parallelus 53, 10. comprobat, quo sensu autem capiendus sit hic locus uterque, deinceps videbimus. — שׂוֹחֵחַ (: III. a שִׂיחַ:) meditatus est Ps. 143, 5., et elocutus est, enunciavit Ps. 69, 13. Job. 12. 18.; longius abit شاخ diligentiam et studium posuit in negotio. — Chaldaeus: ex castigationibus et ultione congregabit captivos nostros, et mirabilia quae fient inter nos diebus ejus, quis poterit enarrare? Refutationem non meretur.

כִּי נִגְזַר מֵאֶרֶץ חַיִּים מִפֶּשַׁע עַמִּי נֶגַע לָמוֹ quia excisus est e terra viventium, ob praeva-

ricationem populi mei est plaga, (quae) ipsis (debebatur), vel plaga ipsi. נִגְזַר proprie excisus resectus est; גָּזַר = جزر et جز resecuit palmam, racemum, occidit, mactavit camelum. — מִפֶּשַׁע עַמִּי ob praevaricationem populi mei, idem est ac praec. v. 5. מִפְּשָׁעֵינוּ ob praevaricationes nostras, ubi loquens communicative enunciavit, hic autem ad populum suum refert se minime excluso. Permulti putant, Deum loqui de populo suo; ast Deus primum v. 10 loqui incipit. — Si נֶגַע לָמוֹ, ut videtur, lectio est genuina, מוֹ in לָמוֹ suffixum est singularis numerî, ut Jes. 44, 15. לָמוֹ de unico idolo occurrit; atque vertendum est: plaga vel ictus ipsi; compositum nempe est hoc suffixum poëticum מוֹ ex suffixo singulari וֹ, et ex suffixo plurali ם ; quare utroque numero usurpari potest, uti de singulari occurrit עָלֵימוֹ Job. 22, 2. 20, 23. coll. 25. 27, 22. coll. 23. Gen. 9, 26., et sic etiam פָּנֵימוֹ Gen. 9, 26. Ps. 11, 7. Atque ita omnino arbitror esse intelligendum; quod si non placet, supplendum est אֲשֶׁר ante לָמוֹ, ellipsis frequentissima; atque ita pluralis לָמוֹ ad collectivum עַמִּי refertur, et edicitur, plagam ipsi contigisse, quae populo debebatur. Quare opus non est, aliam lectionem adoptare. נִגַּע quidem legit cod. de Rossi 725. sec. XII., et Kennicotti 384. sec. XIV; atque ita vertit Syrus, qui autem לָמוֹ singulari numero cepit: קְרֵבוּ לֵהּ tetigerunt eum; intellexit nempe נִגַּע impersonaliter et substituit Nominativum pluralem. Alexandrinus autem, et ex eo

Arabs: ηχθη εις θανατον, سيق للموت, ductus est ad mortem, i. e. נִגַּע לַמָּוֶת vel נֻגַּע, pervenire factus est ad mortem; verum lectio haec in nullo codice reperta est, et unicus testis Alexandrinus eam comprobare non potest. Vulgatus: percussi eum, vix aliter legit, sed textum receptum, ut potuit, expressit; notatu tamen dignum est, eum לָמוֹ quoque singulariter cepisse, uti nec facile aliter intelligi potest, nam de eodem patiente, de quo in praecedentibus, sermo est, qui hic populo opponitur. — Hic versus Act. 8, 33. ex versione Alexandrina adducitur. — Chaldaeus; qui ultra omnes limites evagatur, attentionem non meretur, vertit autem: quia auferet dominium populorum de regione Israelitarum; peccata, quae peccavit populus meus, usque ad eos pervenient.

Jes. 53, 9.

וַיִּתֵּן אֶת־רְשָׁעִים קִבְרוֹ וְאֶת־עָשִׁיר בְּמֹתָיו constructio impersonalis: dedit vel constituit (aliquis vel populus), vertenda passive: constitutum vel assignatum quidem sepulcrum ejus fuit apud sceleratos, verum apud divitem fuit in (insigni) morte sua. נָתַן dedit, notione constituendi habes Gen. 41, 41. Deut. 17, 15. Jes. 55, 4. Jer. 1, 4. — עָשִׁיר dives; עָשַׁר et Aram. עֲתַר dives fuit. Recentiores quipiam conferunt عاثر caespitans, cui autem tribuunt notionem scelesti, ut respondeat praecedenti רְשָׁעִים; verum parallelismus poëticus non est

perpetuo synonymus, sed persaepe etiam antitheticus, et antithesin postulat h. l. membrum mox sequens, in quo innocentia hujus servi Dei, dicitur esse caussa, cur post mortem fuerit, non utique apud scelestum, sed apud divitem. Accedit, notionem sceleris aut criminis in Hebraico verbo nullibi occurrere; et in Arabico quoque, etsi Castelli p. 2949 eam exhibet, valde suspecta est. Rosenmüllerus ad h. l. quidem ex Abulfaragii Hist. Dynast. p. 144., de sacerdotibus, Chrysostomo infensis, adducit locum; جَعَلُوا يَطْلُبُونَ عَثْرَةً عَلَيْهِ, quem autem nemo non vertet: coepernnt quaerere in ipso caespitationem, quae est improvidentia, non autem scelus dici potest; nam عَثَرَ est caespitavit, offendit, impegit, imminnit, desuper spectavit perspexitque, nec in derivatis ejus ullum occurrit sceleris vestigium. — בְּמוֹתָיו iidem recentiores deducunt a בָּמָה, excelsum, altare idoli, βωμος, unde extorquent notionem monumenti sepulchralis, quae in hac, persaepe recurrente voce nullibi occurrit. Accedit, primum Kametz in בָּמָה et בָּמוֹת esse immutabile, nec unquam remitti in Sch'va, sed dici cum suffixo בָּמוֹתֵימוֹ Deut. 33, 29., et in statu constructo בָּמוֹת יַעַר Mich. 3, 12. Job. 26, 28., et בָּמוֹתֵי vel בָּמֳתֵי אָרֶץ Mich, 1, 3. Amos. 4, 13. Jes. 14, 14. 58, 14. Job. 9, 8. Quare, ut omnes veteres reddiderunt, vertendum erit: in morte sua; est scilicet מוֹתִים pluralis magnitudinis, qui exprimit mortem violentam et insignem, ut Ezech. 28, 10. legitur de rege Tyri:

מוֹתָיו עֲרֵלִים תָּמוּת בְּיַד זָרִים morte (violenta) praeputiatorum morieris per peregrinos. Veteres interpretes non observarunt significationem τȣ אֵת cum, apud, ut Gen. 19, 33. Lev. 19, 13. Num. 1, 5. Deut. 15, 3. Jud. 17 11. conf. Noldii Concord. Partic. p. 126.; hinc male Syrus; dedit scelestus sepulcrum suum, et dives in morte ejus; multo pejus Alexandrinus: και δωσω τȣς πονηρȣς αντι της ταφης αυτȣ, και τȣς πλȣσιȣς αντι τȣ θανατȣ αυτȣ, quod fere secutus est Vulgatus: et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua. — Chaldaeus pro more suo evagatur: et tradet in gehennam impios et divites opibus, qui vim attulerunt morte exitiosa.

עַל לֹא חָמָס עָשָׂה וְלֹא מִרְמָה בְּפִיו quia injuriam non fecit, nec dolus erat in ore ejus. — חָמָס vis, violentia, et etiam generatim injuria, Gen. 16, 5. Jud. 9, 24. Jes. 60, 18. Jer. 20, 8. 51, 35. 46.; חָמַס vim intulit, violenter tractavit, et ut Syr. III. אַחְמֵס arripuit, vel abripuit; حَمُسَ vehemens, validus fuit, constans in religione, validus in praelio fuit — מִרְמָה dolus, a רָמָה, Aram. רְמָא = رَمَى jecit; Arab. etiam dicteriis impetivit; Hebr. II. decepit, quasi conatus est eum dejicere, uti et Syr. רמ̈יא jaciens, et susurro. — Nec vi, nec dolo malum patravit; enumeratio poëtica pro: nihil prorsus mali fecit. Hunc locum respexit Johannes 1. ep. 3, 5. et

Petrus 1. ep. 2, 22. — Chaldaeus: ut non permaneant facientes peccatum, neque loquantur dolum in lingua sua; mirum est, virum, linguae non imperitum, malam suam fidem ostentare, et verba summa violentia contorquere.

Jes. 53, 10.

וַיי׳ חָפֵץ דַּכְּאוֹ הֶחֱלִי Jehova autem voluit conterere eum, aegrotum reddidit, i. e., vel ellipsi conjunctionis suppleta: et aegrotum reddidit, vel הֶחֱלִי venit pro Infinitivo: aegrotum reddendo, ut Jes. 42, 21. --- יי׳ חָפֵץ יַגְדִּיל תּוֹרָה וְיַאְדִּיר, pro לְהַגְדִּיל et וּלְהַאְדִּיר, Jehova voluit magnificare doctrinam et gloriosam reddere. חָפֵץ voluit, exprimit decretum divinum. — Forma IV. הֶחֱלִי more Aramacorum formata, ac si esset pro הֶחֱלִיא, uti cum ultima Aleph etiam derivatum תַּחֲלוּאִים Deut. 29. 21. Ps. 103, 3. Jes. 14, 4. 18. morbi, infirmitates, et ipsum quoque verbum 2 Paral. 16, 12. וַיֶּחֱלָא occurrit; verbum est חלה supra explicatum. Ceterum morbos toto hoc capite non esse, nisi metonymice poenam peccatorum, supra ostendimus, quia omnes afflictiones, inprimis autem morbi, ut poenae peccatorum respiciebantur, cujus tropi latissimus est in Bibliis usus. — Alexandrinus, obnitente licet contextu, דכא intellexit notione Aramaea purificare, vertit enim: κυριος βελεται καθαρισαι αυτον απο της πληγης. — Post hanc sententiam intelligendum est וַיֹּאמֶר et dixit, quod in poësi saepe omitti, annotavimus in Herm. §. 21. p. 63.; in sequentibus enim Deus loquitur.

אִם תָּשִׂים אָשָׁם נַפְשׁוֹ יִרְאֶה זֶרַע יַאֲרִיךְ יָמִים וְחֵפֶץ יְיָ בְּיָדוֹ יִצְלָח si ipse se fecerit sacrificium pro delicto, videbit semen, prolongabit dies (vitae), et voluntas Dei per eum prospere succedet. — Foeminina tertia persona תָּשִׂים refertur ad nominativum נַפְשׁוֹ, quae vox cogitatione repetenda est: אִם נַפְשׁוֹ תָּשִׂים אָשָׁם נַפְשׁוֹ, ubi primum נַפְשׁוֹ valet ipse, et secundum idem est, ac seipsum, nempe: si ipse seipsum fecerit sacrificium pro delicto, id enim valere אָשָׁם notum est ex Lev. 5, 5. — 7. 15. 24. 1 Sam. 6, 3. 2 Reg. 12, 17. conf. meam (Germ.) Bibl. Arch. III. Th. §. 100. 102. S. 388 — 390. S. 392 — 394. — §. 105. S. 400 — 407. Ceterum repetitio vocis alicujus, mente supplenda, jam ad Ps. 110, 3. annotata fuit; addimus aliud exemplum ab interpretibus omnibus neglectum, Ps. 10, 2: בְּגַאֲוַת רָשָׁע יִדְלַק עָנִי, quod idem est ac: בְּגַאֲוַת רָשָׁע רָשָׁע יִדְלַק עָנִי in superbia improbi, improbus persequitur afflictum, i. e., in superbia sua improbus etc. Syrus sensum utcunque perspexit, sed vertit passive: positum fuit peccatum super animam ejus; melius Vulgatus: si posuerit pro peccato animam suam. Sensus est: si sponte se morti obtulerit ad poenam alienorum peccatorum subeundam. Conf. Matth. 26, 39 — 44. 52 — 56. 20, 28. Marc. 15, 35 — 41. Luc. 22, 41 — 46. 24, 26 — 27. Joh. 10, 18. 18, 11. 10, 11. 15. 17 — 18. Ad hanc sententiam, ut est in textu Hebraico, respexit Paulus 2 Cor. 5, 21. — זֶרַע semen, posteritas; de quali posteritate, uti supra

de quali generatione, sermo sit, deinceps videbimus.
יַאֲרִיךְ יָמִים prolongabit dies, i. e., longaevus erit; qua ratione hic servus Dei, violenta morte sublatus et sepultus, nihilominus longaevus esse possit, aenigma est, cujus explicatio ex complemento vaticinii petenda, quae infra se ipsa offeret. — Voluntas Jehovae est consilium seu decretum Dei. Haec ultima verba Alexandrinus junxit sequenti versui, et ut cetera omnia, non intellexit; vertit enim: *εαν δωτε* (Schleusnerus conjicit *δοϑῃ*:) *περι ἁμαρτιας, ἡ ψυχη ὑμων* (Schleusnerus conjicit *αυτων*) *οψεται σπερμα μακροβιον* — Chaldaeus: a facie Jehovae voluntas fuit, conflare et mundare residuum populi sui, ut purificaret a peccatis animam eorum; videbunt regnum Messiae sui, multiplicabunt filios et filias, prolongabuntur dies eorum, et facientes legem Jehovae, beneplacito ejus prospere agent. (!!!)

Jes. 53, 11.

מֵעֲמַל נַפְשׁוֹ יִרְאֶה יִשְׂבָּע (בְּדַעְתּוֹ) post aerumnam suam videbit et saturabitur (cognitione sui) עָמָל labor, molestia, aerumna, miseria, Exod. 18, 8. Ps. 73, 5. Job. 7, 3. 11, 16. Num. 23, 21 — 22; עָמַל Heb. et Aram. = عمل laboravit, operatus est: מֵעֲמַל נַפְשׁוֹ ex aerumna animae suae, idem valet ac post aerumnam suam, seu post exantlatas aerumnas suas; nam praefixum Mem saepe idem valere ac post, notum est, ut Jos.

23, 1. Jud. 20, 23. Hos. 6, 2. conf. Noldii Concord. Partic. p. 465. nro. 24. — יִרְאֶה videbit, supplenda est ellipsis טוֹב bonum, seu beatitudinem, et videre venit pro experiri, frui; adeoque experietur beatitudinem, fruetur beatitudine, quae jam 52, 13. 15. celsitudo dicta fuit. Vox טוֹב hac notione saepe addita verbo ראה legitur, ut Ps. 27, 13. 34, 13., hinc omissa facile intelligitur; et verbum רָאָה vidit, saepe idem esse ac sentire, experiri, frui, notissimum est, conf. Eccl. 8, 16. Ps. 77, 17. Habac. 3, 2. — יִשְׂבָּע saturabitur, quodsi jungitur praecedenti, sensus est: experietur bona affluentia; videtur autem cum Alexandrino sequens vox בְּדַעְתּוֹ huc trahenda; nam verbum שָׂבַע etiam alias, construitur cum Beth praefixo, ut Ps. 65, 5. atque ita suffixum passive capiendum est: saturabitur cognitione sui, fruetur nempe illa beatitudine abunde, ut permulti cum agnoscant celsissimum benefactorem, qui salutem illis procuravit. Alii tamen fere omnes jungunt hanc vocem sententiae subsequenti, quare eam nos quoque praetermittimus.

בְּדַעְתּוֹ יַצְדִּיק צַדִּיק עַבְדִּי לָרַבִּים וַעֲוֹנֹתָם יִסְבֹּל. cognitione sua justos reddet justus servus meus multos, quia iniquitates (poenas) eorum portabit. Si בְּדַעְתּוֹ pertinet ad hanc sententiam, cognitio erit cognitio Dei, quae Hebraeis venit pro religione, Jer. 22, 16. Hos. 4, 1. 6, 6. Prov. 1, 7. 2, 5. 24, 4.; et quia refertur ad justificationem, erit cognitio Dei seu religio, quam alios do-

cebit. Quia autem verbum הִצְדִּיק justificavit, justum declaravit, nunquam occurrit constructum cum Beth praefixo; vox haec ad praecedentem sententiam, ut diximus, referenda esse videtur, ubi verbum שָׂבֵעַ, etiam alias ita constructum, habetur. — יַצְדִּיק justos reddet, ambiguum videri posset, verum mox explicatur per sequentem sententiam: quia iniquitates, i. e. per metonymiam, poenas eorum portabit, seu sustinebit, et ita eos justos, i. e. a poena immunes reddet. — צַדִּיק עַבְדִּי justus servus meus, i. e., innocens, ut ex praecedentibus, praesertim ex v. 9. patet; ceterum praeter morem, energiae caussa, Adjectivum praemissum est Substantivo. His verbis explicatur illud, quod 52, 15. dictum erat יַזֶּה asperget, i. e. purificabit, mundabit gentes multas; et confirmantur etiam ea, quae loquentes 53, 3—9. diversis dicendi formulis expresserant; inprimis parallelum est, quod v. 5. dicunt: vibice vel vulnere ipsius sanati, seu a morbo, i.e. a poena peccatorum, liberati sumus. — Alexandrinus, qui hunc integrum versum jungit ultimae sententiae versus praecedentis, omnia perturbat; vertit enim (10) *και βȣλεται κυριος* (11) *αφελειν απο τȣ πονȣ της ψυχης αυτȣ, δειξαι αυτῳ το φως, και πλασαι* (Schleusnerus conjicit *πλησαι*) *τῃ συνεσει, δικαιωσαι δικαιον, και τας ἁμαρτιας αυτων ανοισει.* — Chaldaeus: a subjectione populorum liberabit eos; videbunt ultionem de inimicis suis, saturabuntur praeda regum ipsorum. In sapientia sua justificabit

justos, ut subjiciat multos legi, et pro peccatis ipsorum deprecabitur.

Jes. 52, 12.

לָכֵן אֲחַלֶּק לוֹ בָרַבִּים וְאֶת עֲצוּמִים יְחַלֵּק שָׁלָל ideo dispertiam ei multos, et potentes obtinebit praedam. Verbum חלק loco Accusativi adsciscit etiam alias casum cum praefixo Beth, ut Job. 39, 17. וְלֹא חָלַק לָהּ בְּבִינָה et non impertivit ei intellectum, conf. meam Gramm. L. H. §. 118. p. 405. nro. 17. Idem hoc verbum nequaquam semper est distribuit, sed non raro quoque latius usurpatur, ubi idem valet ac obtinere, ut Prov. 17, 2., ubi de servo sapiente dicitur: בְּתוֹךְ אַחִים יַחֲלֹק נַחֲלָה inter fratres obtinet haereditatem, conf. etiam Job. 27, 17.; hinc חֵלֶק non solum est pars, sed etiam possessio, Jer. 10. 16. 31, 19. Ps. 16, 5. 142, 6. Deut. 32, 9. 2 Reg. 9, 10. 36—37. — שָׁלָל exuviae, praeda, spolium (a שָׁלַל extraxit, detraxit, spoliavit), usurpatur autem etiam latius pro lucro, et pro eo, quod est instar praedae, Prov. 31, 11. Jer. 22, 9. 38, 18. 45, 5. 8. Exod. 15, 9. Ps. 119, 162. Praeda nostro loco sunt ipsi potentes, עֲצוּמִים, qui 52, 15. dicti sunt reges, prae reverentia obturantes os suum; nam captivi partem praedae constituebant. Tropice haec dici, liquet ex eo, quod de bello et praelio nulla fit mentio. Quare Vulgatus male vertit: fortium dividet spolia, uti etiam Alexandrinus: τῶν ἰσχυρῶν μεριεῖ σκῦλα, melius Syrus: potentes dividet praedam. Mirandum omnino, hunc Dei servum con-

temtum et deformatum, pro peccatis aliorum violenta morte sublatum, et sepultum, nihilominus, ut supra legimus, fore longaevum, et, ut hic dicitur, multos ac magnos, seu potentes reges obtenturum tanquam praedam, seu ut absque tropo dicam, sibi subjecturum, quod postea explicabimus. Id modo omittendum non est, synonyma esse membra: generationem ejus quis enunciabit? videbit semen seu posteritatem; impertiam ei multos; et potentes obinebit praedam, atque id ideo, quia innocens per passionem suam pro alienis peccatis justos reddet multos seu a poena liberabit. Sicut autem improprie dictum est, per violentam mortem potentes adepturum esse praedam quod proprie dicitur, impertiam ei multos: ita improprie dicitur ejus generatio, et ejus semen seu posteritas; nam hanc generationem et posteritatem seu semen illi ipsi constituunt potentes, reges, et multi, quos passione et morte sua reddet justos, seu liberabit a poenis.

תַּחַת אֲשֶׁר הֶעֱרָה לַמָּוֶת נַפְשׁוֹ וְאֶת פֹּשְׁעִים נִמְנָה propterea quod profudit vitam suam ad mortem, et praevaricatoribus adnumeratus fuit, vel, se adnumerari permisit, quod aptius convenit spontaneae profusioni vitae ad mortem. Prior sententia respondet illis, quae a loquentibus supra dicta fuerunt: ex oppressione et judicio, seu oppressus judicio sublatus est, et: excisus est e terra vivorum v. 8.; id modo additur, etiam praevaricatoribus adnumerari se permisisse. — עָרָה nudavit, revelavit;

عَرِيَ nudus fuit; Hebr. in II. et IV. etiam evacuavit, effudit, ut Gen. 24, 20. 2 Paral. 24. 11. Jes. 32, 15.; prorsus eadem phrasis occurrit Ps. 141, 8. אַל תְּעַר נַפְשִׁי ne profundas vitam meam. Suam autem propriam vitam profundere, est magno animo mortem oppetere, ut etiam Arabes de strenuo bellatore, vitam suam magno animo praesenti periculo objiciente, dicunt: اسل نفسه fecit fluere, seu profudit vitam suam. Sensus igitur est: quia se sponte morti obtulit, quod v. 10. expressum fuit: si fecerit seipsum sacrificium pro delicto. Alexandrinus sensum non est assecutus; vertit enim: ανϑ᾽ ὧν παρεδοϑη εις ϑανατον. — מָנָה Aram. מְנָא, numeravit, et, ut مَنَى, definivit, constituit; in VII. adnumeratus est, vel adnumerari se permisit praevaricatoribus, etsi praevaricator non fuit; nullam enim injuriam fecit, nec dolus erat in ore ejus, v. 9. Ultima haec sententia adducitur Marc. 15, 28. et Luc. 22, 37. Ceterum conf. Philipp. 2, 5—11. Eph. 1, 20—23. Hebr. 1, 3—4. 1 Cor. 15, 24—27.

וְהוּא חֵטְא רַבִּים נָשָׂא וְלַפֹּשְׁעִים יַפְגִּיעַ et ipse peccatum (poenam) multorum tulit, et pro praevaricatoribus intercessit. Peccatum, praevaricationem, iniquitatem in integra hac sectione per metonymiam venire pro poena peccatorum, praevaricationum et iniquitatum, manifestum est.

Priori hac sententia confirmantur ea, quae a loquentibus v. 7. 8., et ab ipso Deo v. 10. 11. dicta fuerunt. Duo autem haec membra immediate respondent duobus mox praecedentibus, nempe poenam seu peccatum multorum portavit, respicit dictum: profudit vitam suam ad mortem; atque praevaricatoribus adnumerari se permisit, opponitur: pro praevaricatoribus intercessit — In Alexandrinam ultimae sententiae versionem: και δια τας ανομιας αυτων παρεδοθη, mendum irrepsisse videtur; nam interpres ignorare non potuit, פָּגַע occurrit, in I. et IV. cum Lamed vel Beth constructum, uti Syris cum Beth, esse intercedere. Hunc locum respexit Petrus 1 ep. 1, 11. 2 ep. 2, 24., et Paulus 1 Cor. 15, 3—4. Chaldaeus integrum hunc versum circumloquitur, seu ut solet, ex dogmatica sua pervertit: ideo dividam ei praedam populorum multorum et divitias civitatum fortium; dividet spolia eo quod tradidit vitam suam morti, et transgressores subjecit legi, et ipse pro peccatis multorum deprecabitur, et transgressoribus peccatum dimittetur.

Versio Jes. 52, 13—53, 12.

(Sic ait Jehova:) 52.
„ Ecce prospere aget servus meus; 13.
„ Excelsus erit, et exaltabitur, et sublimis erit valde.
„ Sicut obstupuerunt super eum multi, 14.
„ Adeo deformis erat species ejus, ut nullius viri,

„ Et forma ejus, ut nullius hominis:
„ Sic expiabit gentes multas. 15.
„ Super ipsum occludent reges os suum,
„ Quia quod ipsis nunquam narratum erat, videbunt,
„ Et quod nunquam audierunt, percipient."
(Dicent:) 53.
Quis credit quod audimus? 1.
Et brachium Jehovae cui revelatum est?
Nam succrevit ut surculus coram eo, 2.
Et sicut radix e terra arida.
Non erat ei forma, nec decor, ut eum respiceremus;
Neque species, ut eum desideraremus.
Despectus erat et novissimus virorum, 3.
Doloribus conflictans et notus morbo,
Et sicut qui faciem suam a nobis contegit;
Despectus, ut non reputaremus eum:
Verum morbos nostros ipse portavit, 4.
Et dolores nostros toleravit.
Nos quidem eum putabamus ictum,
Percussum et afflictum a Jehova:
Ipse autem ob nostras praevaricationes perfossus fuit, 5.
Ob iniquitates nostras contritus fuit,
Castigatio, qua nobis salus parabatur, erat super eum.
Nos omnes sicut oves errabamus, 6.
Unusquisque in viam suam se vertebat:

Jehova autem immisit in eum iniquitatem omnium
nostrum.
Exigebatur, et ipse se submisit, 7.
Et non aperuit os suum.
Sicut agnus ad mactationem ductus est,
Et sicut ovis coram tonsoribus suis, obmutuit,
Nec aperuit os suum.
Oppressus judicio sublatus est; 8.
Generationem autem ejus quis enarrabit?
Nam excisus est e terra viventium,
Ob praevaricationem populi mei plaga fuit ipsi.
Constitutum quidem erat sepulchrum ejus apud
scelestos, 9.
Sed apud divitem erat post mortem suam,
Quia violentiam non fecit,
Nec dolus fuit in ore ejus.
Jehova autem voluit conterere eum, et aegrotnm
reddidit,
(D i c e n s:) „ si fecerit se ipsum sacrificium pro
delicto,
„ Videbit semen, et prolongabit vitam,
„ Et voluntas mea per eum prospere succedet.
„ Post aerumnas suas fruetur beatitudine et satu-
rabitur cognitione sui. 11.
„ Justos reddet justus servus meus multos,
„ Quia iniquitatem eorum portabit.
„ Ideo dispertiam ei multos, 12.
„ Et potentes obtinebit praedam,
„ Quia profudit vitam suam ad mortem,
„ Et praevaricatoribus se adnumerari permisit,

„ Et ipse peccatum multorum portavit,
„ Et pro praevaricatoribus intercessit."

Argumentum Jes. 52, 13 — 53, 12.

Deus ait Cap 52, 13—15. : servus meus, postquam quam maxime deformatus fuerit, expiabit multas gentes, et valde sublimis et excelsus erit, reges quoque venerabundos ad silentium rediget.

Tum hi expiati cap. 53, 1—9. dicent: admiranda, quae audimus, vix fidem inveniunt, et vix quisquam agnoscit opus Dei. Ille Dei servus, ex humiliata familia ortus, adolevit tenuis, nulla erat dignitate aut magnificentia conspicuus, sed prae ceteris contemtus, et doloribus ac afflictionibus jactatus; verum hac non erant, ut putabamus, propriorum, sed nostrorum peccatorum poenae, quae nobis pro peccatis nostris infligendae fuissent, a Deo autem ipsi immissae sunt, ut nobis salus, immunitas a poena, paretur. Ipse innocens sponte se his omnibus, et ipsi quoque morti aequo animo subjecit, quin obloqueretur. Judicio oppressus, facinorosis adnumeratus, violenta morte sublatus fuit, verum innumerabilem progeniem, et sepulcrum, quod ei apud scelestos constitutum erat, apud divitem obtinuit, quia peccatum nullum commisit, sed Deus ipsum ob nostra peccata his plagis oneravit; nam Dei decretum erat 53, 9 — 12. :

„ Si sponte poenas alienorum peccatorum vio-
„lenta morte luerit: obtinebit posteritatem et longae-
„vitatem, potietur summa beatitudine et dignitate,
„et decretum meum per ipsum effectui dabitur, ut

„morte sua multos reddat justos, seu a poena immu-„nes, quam ipse eorum loco sustinuit, ideoque ipsi „multos, atque etiam potentes, quasi praeda captivos, „i. e., obedientes asseclas dabo."

Expositio Argumenti Jes. 52, 13—53, 12.

Quisnam sit hic Dei servus, diversae sunt interpretum sententiae, quae ad duas classes referri possunt. Alii enim censent, populum Judaicum; alii autem, singularem aliquam personam esse objectum hujus sermonis. Illi rursus in tres partes abeunt; non nemo enim opinatus est, servum Dei esse abstractum populi Judaici; aliqui putant, esse meliorem et probam populi partem, pejoribus et improbis oppositam; multi denique alii integrum populum, aut generationem finito exilio viventem, et ultimae emortuae generationi oppositam, esse hunc Dei servum arbitrantur. Qui existimant, singularem personam esse sermonis objectum, jam Mosen, jam regem Uzziam, jam Josiam, jam Prophetam Jeremiam, jam Jesaiam, plerique autem Messiam esse hunc Dei servum autumant. Hae singulae sententiae excutiendae veniunt.

I. Abstractum populi Judaici servus Dei?

Populi seu societatis civilis populi Judaici abstractum, quod ut persona sistatur, et ipsi populo opponatur, ipsum sibi repugnat; societas enim sine sociis, et sociis opposita, nequidem cogitari potest. Si cogitanda sit ut idea constitutionis civilis, opponi non potest civibus; neque dici potest, ideam

constitutionis civilis pro peccatis civium affligi et violenta morte aufferri; multo minus, crescere ut surculum e terra arida, aut esse sine specie et forma, contemtam, morbo notam, ferre morbos civium, ejus vibice vel vulnere sanari cives, sicut agnum duci ad mortem, sepulcrum, apud sceleratos constitutum, obtinere apud divitem; cujus aures haec ferre possunt? — Si Jerusalem Jes. 51, 17—52 3. et 54, 1—8., vel Zion Jes. 49, 14—21., vel Babylon Jes. 14, 3. seqq. 47, 1—15., vel respublica Hebraeorum Jes. 1, 5—6., sistitur ut persona, nequaquam abstractum concreto opponitur, sed concretum offertur cogitandum.

II. Proba populi pars servus Dei?

Meliorem seu probam populi partem esse vaticinii objectum, statuit Rabbi Lipman in ס׳ נצחון p. 131. nro 236., ut refert Danz de Lytro Redemt. Human. §. IV. in Meuschenii N. T. ex Thalmude illustr. p. 838. Hanc sententiam nostra aetate rursus exornavit Paulusius in Memorabil. III. p. 175—192,, et in sua Clavi in Jesaiam ad h. l.. Summa ejus fere haec est: melior seu proba pars populi minime ob propria peccata, sed ob peccata pejorum seu improborum, cum his ipsis simul afflicta, poenam exilii toleravit, quod cernentes improbi in argumentum trahebant, proborum spem, Jehovam opem laturum esse, fuisse vanam; finito autem exilio, et revertentibus in patriam probis, observarunt, se errasse, et spem illam fuisse bene fundatam; hinc resipiscentes plan-

gunt, se non dudum resipuisse. — Haec proborum et improborum distinctio et separatio, non solum omni fundamento destituitur, sed etiam argumento hujus sermonis repugnat, ut ex sequentibus observationibus patebit.

I. Si hic Dei servus esset proba aut melior pars populi: id vel in ipso hoc sermone 52, 13—53, 12. saltem aliquo nutu innui, vel in praecedentibus idem hujus phraseos usus obtinere deberet, ut lector ad hunc sensum praeparatus deduceretur; verum neutrum obtinet. Nam in hoc quidem sermone servus Dei nequaquam opponitur pejori et improbae parti populi, sed ethnicis, רַבִּים multis 52, 14. 15., גּוֹיִם רַבִּים gentibus multis, et מְלָכִים regibus 52, 15., qui nihil de eo audierant, quibus nunquam de eo quidquam narratum fuerat, et quos demum Deus 53, 12. huic suo servo, ut praedam, attribuit, seu ut obsequentes asseclas subjicit. — In praecedentibus autem inde a c. 40, occurrit quidem saepe servus Dei, qui autem nunquam est melior aut proba pars populi, sed vel ipse Propheta, ut 42, 1—9. 44, 26. 49, 1—13. 51, 4 — 11.; vel universus populus Jacob et Israel sine distinctione, et diserte ethnicis oppositus, ut 41, 1—7. 8—9—13. 43, 1—10. 44, 1—5. 6—8—20—24. 45, 4. 46, 1—3. 48, 20—22. 49, 3. Universus populus, ethnicis oppositus, dicitur 42, 17—19. 24. 43, 7—9. servus Dei coecus et surdus, qui legi non obtemperat; compellatur 46, 8. corde deficiens seu praevaricans, et 46, 12. 48, 1. 4. 8. durus corde, longinquus a probitate; perjurus et perfidus; ex his apparet, nequaquam me-

liorem seu probam populi partem, sed universam multitudinem una cum improbis dici servum Dei, et nullam fieri probam inter et improbam partem populi distinctionem. Ita quoque alias ubique universus populus Jacob et Israel sine ulla distinctione compellatur, ut 43, 1. 15. 23. 28. 44, 1. 6. 21. 24. 45, 4. 46, 3. Pii et probi quidem nonnunquam memorantur, sed sine distinctione universo mox iterum populo comprehenduntur; sic 51, 1. 7. memorantur probitatem sectantes, et gratiam Jehovae implorantes, sed hi ipsi versu intermedio 4. populo universo comprehenduntur, et mox sequenti versu 13. diserte dicuntur obliti conditoris sui. Nulla igitur ullibi sub nomine servi Dei est proborum et improborum distinctio. — Si itaque, ut modo vidimus, neque in ipso hoc sermone 52, 13 —53, 12. ullum est indicium, servum Dei esse probam populi partem, neque in antecedentibus lector ad hunc phraseos sensum praeparatur: manifestum est, hanc interpretationem gratis sumi, et omni carere fundamento. — In subsequentibus 54, 1. — 66, 24. probi quidem ab improbis passim perspicue distinguuntur, sed nunquam vocantur servus Dei, עֶבֶד יי׳ aut servus meus, עַבְדִּי, sed dicuntur in numero plurali servi Jehovae, עַבְדֵי יי׳ 54, 17., vel servi tui, עֲבָדֶיךָ 63, 17., vel servi mei עֲבָדַי 65, 9. 13 —14. Igitur neque in subsequentibus, in quibus probi ab improbis diserte distinguuntur, probi unquam dicuntur servus Dei, etsi haec subsequentia non possent lectorem praeparare, ut in antecedente ser-

mone 52, 13—53, 12. servum Dei de proba parte populi intelligat.

II. Verum non solum deest omne indicium, servum Dei 52, 13—53, 12. esse probam populi partem, sed omnis haec probae et improbae partis distinctio etiam argumento hujus sermonis repugnat. Nam loquentes 53, 1—9. se sistunt ab afflictionibus et aerumnis prorsus immunes, et sese opponunt illi afflicto Dei servo; non plangunt semet ipsos, simul afflictos, sed solum illum Dei servum aerumnis conflictantem; dicunt, illum non ob propria peccata, sed ob peccata, quae ipsi commiserunt, afflictum, violenta morte sublatum, sepulcrum, destinatum quidem apud facinorosos, obtinuisse autem apud divitem, quae omnia dicere improbam populi partem, nequidem fingi potest, haec quippe improba populi pars in eodem exilio eadem cum probis infelici sorte utebatur; improbi et probi in exilium deportati sunt, et in exilio improbi iisdem, quibus probi, aerumnis premebantur; quam ob rem omittere non potuissent, se quoque ipsos plangere, nec se patienti servo Dei opponere potuissent. — Nec facile quisquam perspiciet, qua ratione proba et melior populi pars dici possit violenta morte sublata, et sepulcrum apud divitem obtinuisse, aut sponte se fecisse sacrificium pro delicto, et sponte vitam magno animo, profudisse ad mortem. — Si dicatur, illustres et nobiles, qui in exilium deportati et in exilio mortui sunt, esse hunc Dei servum: etiam his non conveniunt, quae mox annotavimus, et comprobari quoque non poterit, hos

constituisse meliorem populi partem; nam a Jeremia et Ezechiele prae reliquis corrupti sistuntur, ut Jeremias C. 5, 4—5. disertis verbis dicit, se adscripsisse perversitatem plebis inscitiae, ideoque accessisse ad magnates et proceres, sed reperisse, etiam hos jugum excussisse. — Taceo non solos illustres, sed omnes etiam plebejos in exilium deportatos fuisse, et reliquos aufugisse in Aegyptum, Jer. 39, 9—10. 41, 13—18. 43, 7. 13. 44, 1—2. et 52, 28—30. 2 Reg. 25, 11—13 et 22—26., uti demum reduces regionem desertam et incolis vacuam invenerunt. — Qui autem dixerit, apostatas Judaeos per ipsam apostasiam reddidisse sortem suam meliorem, prodit, se antiquiora illa tempora parum nosse, quibus quisque suum vel suos colebat deos, quia eos esse potentiores, et sibi magis favere opinabatur, nec quidquam curabat, quem quisquis alium deum coleret, ut transiens ad cultum alterius dei nequaquam spe praesidii cultorum ejusdem dei, sed opinione, hunc deum esse potentiorem et clementiorem, duceretur, conf. Jer. 44, 15—19. Si forte unus alterve Judaeus apostata res suas auxit, id non erat consectarium mutatae religionis sed industriae et prudentiae ipsius. Judaeis hujus generis, oppido paucis, et prorsus ignotis, opponere licet notissimos alios pios et probos, qui splendida fortuna usi sunt, ut Danielem et tres ejus amicos, Jechoniam e carcere dimissum, et reliquis regibus antepositum, Zerubabelem, et sequiori aevo Ezram, Mordochai, Estherem et Nehemiam, quibus similes certe erant plures alii.

Si igitur haec interpretatio, ut modo ostendimus, nec in ipsa hac nostra sectione, nec in praecedentibus aut consequentibus ullum habet praesidium, et ipsi etiam argumento hujus sectionis repugnat: in subsidium vocari nequit illa sententia v. 8. מִפֶּשַׁע עַמִּי נֶגַע לָמוֹ, qua Deus diceret: ob praevaricationem populi mei (partis pejoris) plaga ipsis (parti meliori); nam nimis abruptus esset sermo, si in praecedentibus et subsequentibus in singulari numero compellaret Dei servum, nunc in hac unica intermedia sententia subitó verteretur in pluralem, ne repetamus, quod ostendimus, in praecedentibus inde a c. 40 etiam improbos nomine servi Dei comprehendi. Accedit, sine omni ratione statui, Dei esse haec verba; nam quilibet lector integra mente, non potest non observare, sermonem Dei demum post primam sententiam versus decimi inchoare. Si locus sensum sanum non funderet, nisi Deus loqui ponatur: evicta res esset; verum aliud supra ostendimus, ubi hunc locum alio sensu et quidem duplici commoda ratione explicavimus, quae utraque orationem nequaquam interrumpit, sed arctius conjungit, et usui loquendi innititur.

III. Universus populus Judaicus servus Dei?

De universo populo Judaico in praesenti exilio explicant hunc Dei servum Judaeus apud Origenem contr. Celsum L. I., R. Dav. Kimchi, R. Salomon Jsaacides, Abenezra, Abarbanel, aliique Judaei recentiores, conf. Danz de Lytro Redemt. Hum. in Meu-

schenii N. T. e Thalm. illustr. p. 836—838. E Christianis quipiam intelligendum esse arbitrantur universum populum Judaicum in exilio Babylonico, ut Doederlein in Praef. et notis ad edit. III. versionis Jesaiae, Eckermann in Theol. Beytr. I. 12 seqq, et Schuster Comment. in Jes. 52, 7—53, 12.

Illorum Judaeorum interpretatio attentionem vix meretur; nam si populus Judaicus in praesenti exilio, esset hic Dei servus: Propheta ultra omnes limites evagaretur, et sermoni de reditu ex exilio Babylonico insereret liberationem ex exilio praesenti, quod vocant Romanum. Quare opus non est, de hac prorsus inepta interpretatione pluribus agere, valebunt tamen contra eam plura, quae infra dicentur.

Christianorum memoratorum sententia eo redit: Propheta prope finem exilii Babylonici, nomine exsulum 53, 1—9. annunciat exsulantibus, nihil minus quam reditum exspectantibus (!), peccata et ipsorum et majorum suorum per calamitates, quas emortua ultima generatio exantlavit, esse expiata; hinc eos e sepulcro politico (exsilio) evocat ad vitam (reditum in patriam); ubi populus amplissimum adipiscetur imperium, et alias gentes, prout meritae sunt, puniet, vel remunerabitur, quod Deus ipse 52, 13—15. 53, 11—12. promittit. Haec explicatio quidem per nexum cum praecedentibus c. 51—52. et subsequentibus c. 54—55, aliquam speciem verisimilitudinis exhibet, sed quilibet videt, esse artificiosam et violentam, et vel ideo saltem suspectam, quod autem amplius est, ipsi quoque argumento hujus sectionis repugnat, ut modo comprobabimus.

I. Si coetus generationis viventis de coetu ultimae emortuae generationis diceret v. 4.: ille nostras poenas tulit; nos quidem putabamus, ipsum ob propria peccata punitum, sed (v. 5) ipse ob peccata nostra contritus fuit, per ipsius aerumnas nobis parta est salus seu immunitas a poena; et si v. 11. Deus diceret: coetus generationis emortuae iniquitatem (poenam) eorum (qui tum vivebant) sustinuit: majores tulissent poenam posterorum, et ita poena praecessisset culpam. Hebraeorum quidem sententia erat, posteros non raro luere poenas majorum suorum; doceri autem non potest, ullum Hebraeum adeo fuisse insanum, ut statueret, majores tulisse poenas posterorum.

II. Servus Dei, haec omnia patiens, dicitur 52, 13—15. et 53, 10—12. fore valde sublimis et beatus; passa autem est generatio emortua, ergo et haec deberet praedicari sublimis et beata; verum ex hac hypothesi non emortua, sed vivens generatio futura est excelsa et beata. — Hac interpretatione universus hic sermo perturbatur; nam 52, 13. servus Dei futurus sublimis est generatio vivens; 52, 14. sevus idem Dei afflictionibus deformatus est generatio emortua; et 52. 15. idem servus Dei futurus sublimis rursus est generatio vivens, ubi tamen de uno eodemque servo Dei sermo est. Ita quoque 53, 10—11, servus Dei ferens poenas dicitur fore beatus, et sic esset simul generatio emortua, quae passa est aerumnas, et simul generatio vivens, quae beata est, cum ex hac interpre-

tatione sola generatio vivens beata, emortua autem afflicta et infelix statuenda sit.

III. Qui 53, 2—9. loquuntur, plangunt alium pro ipsis patientem, se autem sistunt a poena immunes; si autem hi loquentes essent generatio praesens, non possent se a poena immunes sistere, quippe cum generatione emortua simul easdem exilii calamitates passi sunt.

IV. Loquentes 53, 1—9., qui existimantur esse generatio praesens, se distinguunt ab eo qui passus est, et se eidem opponunt, quod non possent, si hic patiens esset generatio emortua, quae cum generatione praesente erat unus idemque populus, qui non potest a se ipso distingui, et sibi opponi. Propheta noster ubique tam limatum judicium prodit, ut personas ita invicem pugnantes certe non finxerit. Conf. Briefe über Jesaiae 53. in Eichhorn's allg. Biblioth. der Bibl· Literatur VI. B. S. 919—995.

His addamus quaepiam, quae in hac sectione occurrunt, et populo Judaico, quacunque ratione spectetur, repugnant, uti I. magis fuisse deformatum, quam ullum alium, 52, 4. ; nulla dignitate, nulla spectabili fuisse forma, quae attentionem mereretur, sed contemtum et vilissimis parem, qui tamen habuit Danielem et ejus tres amicos ministros aulicos, et demum regem Jechoniam, 26 annis ante reditum ex carcere dimissum, et omnibus aliis regibus antepositum, unde splendor non potuit non in populum reflecti, Jer. 52, 31—34. 2 Reg. 25, 27—30. Permultos alios exsulantes commode vixisse, et meliori, quam in patria, fortuna

usos fuisse, liquet ex eo, quod concessa demum a Cyro redeundi facultate, in exilio perseverare, quam in patriam reverti maluerunt. II. Populus ex captivitate redux nequaquam ut surculus e terra arida 53, 2., sed inter gramina, sicut salices ad rivos aquarum, progerminaturus esse dicitur 44, 4. III. Populus Judaicus in captivitate Babylonica nullatenus dici potest, poenas ethnicorum aut quorumcunque aliorum sustinuisse, qui per ipsius aerumnas a poena liberati, seu justi redditi fuerint 52, 15. 53, 4—6. 11—12. Nam populus Judaicus ab Ezechiele et Jeremia gravissimorum scelerum, et inprimis idololatriae, quae in ipsum quoque templum irrepsit, arguitur; poenam itaque exsilii, propriis peccatis commeritam, sustinuit; ipse quoque noster Propheta ejus scelera saepius attingit, et 56, 10—59, 21. severe reprehendit. — In ipsum etiam Nebucadnezarem iterato rebelles erant, et violato jurejurando regi Chaldaeorum dato, cum Aegypto clam contra eum foedus pepigerunt; qua igitur ratione de populo rebelle et perfido dici posset 53, 9.: violentiam non fecit, nec dolus fuit in ore ejus? Quid plura? ipse noster Propheta ait 40, 2., Jerusalem pro omnibus peccatis suis duplam poenam tolerasse, conf. etiam 42, 24—25. 50, 1—2. IV. Populus Judaicus dici non potest se sponte subjecisse poenae exsilii 53, 7., se ipsum fecisse sacrificium pro delicto 53, 10., vitam suam magno animo pro peccatis aliorum profudisse 53, 12., aut aequo animo exsilium tolerasse, nec aperuisse os suum 53, 7.; nam inviti deportati sunt, de quo Jeremias amare

conqueritur; et Psaltes Ps. 137, 8—9. in diras erumpit. V. Denique integer populus, nullatenus dici potest violenta morte sublatus, et sepulcrum obtinuisse apud divitem 53, 7—9. — Si haec omnia, quamtumvis mitigaveris, tropos et imagines esse statueris, et in omnem partem te verteris, ut vaticinium populo Judaico aliqua ratione adcommodes: apparebit tamen suspectum artificium et manifesta violentia, quam verbis et phrasibus et rebus ipsis intuleris. Recte itaque scribit Martinius Commentat. phil. crit. in Jes. 52, 13—53, 12. Rostochii 1791. p. 138: „quamquam „non ignoramus, gentem Judaicam universam frequen„ter nomine "עֶבֶד" insigniri, vix tamen exemplum „adferri posse putaverim, quod Prophetae continua„ta allegoria de populo universo tanquam de singulari „persona ita loquuti fuisse deprehendantur, ut argu„menti, non ad individuum quoddam, sed ad nationem „ipsam referendi, nullum ne levissimum quidem ve„stigium eluceat. Deinde etiam hoc, quod, nisi nos „omnia fallunt, nonnulla huic oraculo insunt, quae „nonnisi durissime cum ratione ista conciliari posse „videantur." — Paulusius quidem exemplum producit et opponit Jes. 49, ubi tamen v. 14—23. prorsus alia est ratio. — Hansius quoque commentat. phil. theol. in Jes. 52, 13 — 53, 12. Lipsiae 1791 p. 60. apposite scribit: „ipsius hujus oraculi argumentum gravius et „sublimius illi sententiae (populum esse objectum) non „favet. Sub tali enim imagine Propheta vix potuisset „depingere nationem totam, (judicio iniquo sublatam) „miserrimam et omnium gentium odio ac contemtui

„expositam, quum oratio saepe tumidius atque frigi-„dius justo videretur. — Obstare videntur praedi-„cata ipsa illius subjecti, ut e. gr. אִישׁ v. 4., et fre-„quens repetitio Pronominis הוּא. „

Quod contra urgeri potest, illud est unicum, in praecedentibus inde a c. 40. sermonem esse de reditu populi ex captivitate, et in iis quidem, quae immediate 52, 4—12. praecedunt, laetissimum ejus adventum Jerosolymis annunciari, et populum ad reditum provocari, atque in mox subsequentibus 54, 1—17. Jerusalem excitari, ut de multitudine civium et de futura felici conditione laetetur; hinc verisimile videri potest, etiam sectionem intermediam Jes. 52, 13—53. 12. de eodem populo, Jerosolyma reversuro, intelligendam esse. Verum mox supra argumentis comprobavimus, plura, quae hic dicuntur, de populo Judaico nullatenus dici posse, quapropter statuendum omnino est, de alio objecto esse sermonem, per quod series orationis et arctior nexus antecedentium et subsequentium, aliquatenus interrumpitur; etreapse quae 52, 4—12. de reditu populi dicuntur, apte respondent iis, quae 54, 1—17. de laetitia Jerosolymorum subsequuntur, unde manifeste apparet, intermediam sectionem 52, 13—53, 12. esse digressionem. Hoc ipsum negari nequidem posset, si populus esset hujus sectionis objectum. Nam si populus 52, 4—12. provocatur ad reditum, et 54, 1—17, Jerusalem ad laetitiam de tanta civium multitudine, exeitatur, intermedia autem sectione 52, 13—53, 12. populus sistitur afflictus et patiens, demum autem futurus beatus et sublimis:

nemo non videt, has afflictiones, medias inter populum redeuntem et laetitiam Jerosolymorum, esse digressionem, et reditum 52, 4—12. cohaerere cum laetitia urbis Jerusalem 54, 1—17. Cum itaque illi, qui hanc nostram sectionem de populo Judaico interpretantur, digressionem negare non possint: ex nexu antecedentium et consequentium argumentum petere, aut sententiam nostram impugnare nequeunt. Quodsi dixerint, ex sua sententia idem saltem in tribus his sectionibus manere objectum: id quidem non diffitebimur, dummodo etiam ipsi vicissim fateantur, sectionem intermediam nihilominus esse digressionem, quam jam ostendimus, de populo agere non posse.

Digressiones hujus generis nostro Prophetae minime sunt insuetae. Non commemorabo, Prophetam in antecedentibus inde a c. 40., jam loqui de reditu populi in patriam, jam de Deo liberationem et liberatorem annunciante et praeparante, jam de infinita Dei scientia et potentia, jam de vanitate idolorum, jam de querelis Hebraeorum, jam de expugnatione Babylonis, jam de peccatis Hebraeorum, et quae sunt alia similia; alias duntaxat quaspiam manifestas et fusiores digressiones adducam. Ita a liberatore Hebraeorum ex captivitate 41, 25—29., Propheta digreditur 42, 1—9. ad suum munus propheticum, et in subsequentibus 42, 10—13. subjungit canticum, et demum rursus redit ad liberationem Hebraeorum ex captivitate. — Sermoni de expugnatione Babylonis et de secutura Hebraeorum constantia in religione Jehovae 47, 1—48, 22., subnectit suum munus pro-

pheticum 49, 1—13., cui subjungit liberationem et multiplicationem Hebraeorum 49, 14—50, 3., et demum 50, 4—11. rursus ad suum munus propheticum dilabitur, atque in subsequetibus 51, 1—8. denuo ad liberationem Hebraeorum redit. — Denique 56, 10 — 59, 21 ab aetate aurea et a proselytis et eunuchis, de quibus in praecedentibus locutus fuerat, subito transilit ad scelera Hebraeorum, et acerrime invehitur in idololatras, hypocritas, homicidas et injustos judices, et rursus subjungit promissionem aetatis aureae, de qua ante hanc digressionem locutus fuerat.

IV. Singularis persona servus Dei.

Cum itaque digressiones nostro Prophetae sint usitatae: eo majori jure statuimus, nostram quoque sectionem esse ex earundem numero, quod aliunde, ut ostendimus, neque illi, qui nostrum Dei servum de populo Judaico interpretantur, penitus negare possunt, et omnes illi permulti interpretes agnoscunt, qui contendunt, hunc Dei servum esse singularem personam, etsi non conveniunt, quaenam illa sit. R. Alschech censet esse Mosen, et R. Abarbanel, regem Josiam, ut refert Danzius de Lytro Redemt. Hum. in Meuschenii N. T. ex Thalm. illustr. p. 835; R. Saadias et Grotius arbitrantur, esse Jeremiam; quipiam, Uzziam; Brentius, et Staeudlin in Neu. Beyträge zur Erläuterung der Bibl. Proph., Jesaiam; plerique autem existimant, adumbrari Messiam, non solum Christiani, sed etiam Judaei, inprimis antiquiores, ut Jonathan Paraphrastes Prophetarum, Tanchuma, et alii, ut testantur R. Alschech, Abenezra, Abarbanel, Jakut

Nachmanides, Maimonides, Thalmudici in Sanhedrin c. 10., Rabboth in Ruth, et Moses Gerundinensis apud Danzium de Lytro Redemt. Hum, in Meuschenii N. T. ex Thalm. illustr. p. 838—840. De omnibus his sententiis singillatim agere, non est operae pretium; sufficiet, quaepiam generatim praemittere, et demum de Messia diligentius tractare. Id modo observandum est, omnia, quae de hoc Dei servo dicuntur, et populo Judaico, utcunque spectetur, sine artificiis et tropis abnormibus accommodari non possunt, de singulari persona facilem habere interpretationem.

Si itaque haec sectio, uti ostendimus, est digressio, in qua nequaquam populus, sed singularis aliquis vir adumbratur: primo diligenter observandum est, quinam ejus characteres descripti sint; et dein inquirendum, cuinam aptissime conveniant, ita ut nexus cum antecedentibus et consequentibus congruat, aut saltem non repugnet, et ita apta sit digressio.

Characteres servi Dei. Jes. 52, 13—53, 12.

Characteres, quibus hic Dei servus insignitus est, sunt fere sequentes:

I. Sicut surculus radicis e terra arida succrevit, i. e., ex familia humiliata, sicut surculus ex radicibus arboris succisae, ortus est, 53, 2. conf. Jes. 11, 1.

II. Sine singulari specie, seu sine dignitate et magnificentia, quae hominum oculos attraxisset, adolevit, contemtus et vilissimis hominibus deputatus fuit, 53, 2—3.

III. Mirum in modum afflictus, 53, 4., et demum,

judicio oppressus, violenta morte e vivis sublatus fuit, 53, 8.

IV. Reputabatur ob propria peccata a Deo punitus, et, tanquam facinorosus, facinorosis adnumeratus fuit, 53, 4. 12.

V. Ipse autem ex decreto Dei ob peccata aliorum aerumnas et mortem violentam passus est, 53, 5—6. 8—10. 12., ut multi alii justi, seu a poenis immunes redderentur, 52, 15. 53, 11.

VI. Passus est omnes afflictiones et ipsam violentam mortem aequo animo, ut nequidem obloqueretur, 53, 7.

VII. Imo sponte se sententiae mortis subjecit, 53, 7.; sponte vitam suam fecit sacrificium pro delictis aliorum, 53, 10; et sponte magno animo vitam suam ad mortem profudit, 53, 12.

VIII. Ipse autem prorsus innocens erat, et hinc sepulcrum, quod ipsi apud facinorosos constitutum erat, apud divitem obtinuit, 53, 9.

IX. Hic Dei servus, violenta morte sublatus, et sepultus, nihilominus est longaevus, 53, 10.; bonis seu beatitudine fruitur abunde (vel sui cognitione saturatur) 53, 11., et ad summam dignitatem et sublimitatem evehitur, ut etiam reges ad taciturnam reverentiam moveat, 52, 15.

X. Denique amplissimam posteritatem, cujus poenam sustinuit, adipiscitur, 53, 8., seu permultos et etiam potentes, nempe reges et magnates obtinet asseclas, 52, 15. 53, 12. Nam semen seu posteritas ejus, 53, 10., et generatio seu posteri ejus, 53, 8., non

sunt alii, quam illi multi et etiam potentes, quos Deus ipsi 53, 12. tanquam praedam, i. e. obedientes, attribuit, et qui 52, 15. per ipsum expiantur, ac 53, 11 justi redduntur, seu a poenis liberantur, et quorum poenas 53, 5—6. 8. 11—12 ipse subivit. Semen autem, זֶרַע, esse ejus discipulos et sectatores seu asseclas, docet ipse Jesaias c. 1, 4., ubi זֶרַע מְרֵעִים sunt asseclae sceleratorum, בָּנִים מַשְׁחִיתִים filii seu discipuli corrupti conf. Jes. 57, 4. Hic usus loquendi orientalibus adhuc dum solemnis est; nam Christianos dicunt من ميلاد المسيح de nativitate vel genere Messiae, Schulz in der Saml. der Reis. von Paulus VII. Th. S. 49.

Quibus hi characteres non conveniunt?

Hos omnos characteres Mosi, Uzziae, Josiae, Jeremiae et Jesaiae non convenire, nec sine contortis artificiis et violentia, dictionibus et phrasibus illata, adcommodari posse, quilibet facile videt. Jeremias quidem saepe et vehementer afflictus fuit, sed reliqua omnia ab eo aliena sunt, et, ut id solum commemorem, constat, ipsum de suis aerumnis saepius acerbe conquestum fuisse, Dei vindictam implorasse, et diei nativitatis suae dira imprecatum fuisse, Jer. 20 7—13—18. 15, 10—21. 11, 18—12, 6. 17, 14—18. 18, 18-23. Staeudlino facile damus, Jesaiam sub rege Manasse potuisse interfici, sed reliqua omnia, quae de eminenti hoc Dei servo dicuntur, a Jesaia longe distant, nec sine vi ei adcommodari possunt. Praeterea de omnibus his viris, ut reliqua taceamus, neque in

praecedentibus, neque in subsequentibus ulla fit mentio, ut hoc loco quasi e nubibus delapsi, et mox rursus in nubes ascendisse videantur, quin lector moneatur, cur, aut unde venerint, et quo abierint. Noster Propheta se ipse quidem nomine servi Dei compellat, 42, 1—9. 44, 26. 49, 1—13. 51, 4—11. 16., et conqueritur de contemtu, contumeliis et injuriis sibi illatis; verum in omnibus his locis tam clara sunt de objecto sermonis indicia, ut nemo dubitare possit, Prophetam esse hunc Dei servum; nostro autem loco nullus vel minimus nutus observatur, servum Dei esse Prophetam nostrum. Accedit, Prophetam ipsum, ut praetermittamus alia, scribere non potuisse, se interfectum esse, et sepulcrum, praeter spem, apud divitem obtinuisse; si id ex revelatione didicisset futurum esse, profecto alio longe modo enunciasset. Propheta noster etiam in locis, ubi de ignominiis et contumeliis queritur, 59, 7. 50, 6., minime tam tristem sibi exitum vaticinatur, sed Dei nititur auxilio, quod Deus ipsi quoque diserte promittit, 49, 7—13. 50, 8—10. 51, 16. Si Staeudlin in subsidium vocat hypothesin, alium Prophetam in exsilio, haec de Jesaia, olim sub Manasse interempto, cecinisse: redit illud, quod supra diximus, nullam in praecedentibus et subsequentibus de Jesaia fieri mentionem, nec ullum adesse indicium, de hoc Propheta esse sermonem, ne repetamus, reliquos characteres omnes ipsi repugnare.

Characteres Jes. 52, 13—53, 12. soli Messiae conveniunt.

Dubitandum itaque non est, hunc Dei servum non esse alium, quam Messiam Jesum, cui soli, characteres omnes sensu plano et facili tam accurate conveniunt, ut ab ipso depromti esse appareant, quod adeo manifestum est, ut supervacaneum sit, id repetita recensione ostendere. Inprimis illud aenigmatice dictum, servum Dei innocentem, judicio oppressum, violenta morte sublatum, apud divitem sepultum, nihilominus longaevum fore, quod sine vi et artificio nulli alteri accommodari potest, pleno et facili sensu locum habet in Jesu, qui a morte redivivus resurrexit, sedetque ad dexteram Dei, ubi jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, Rom. 6, 9. Ita etiam summa hujus servi Dei, facinorosis adnumerati, et morte violenta sublati dignitas, et innumerabiles atque etiam potentes asseclae, nulli conveniunt nisi Messiae Jesu, et sic de ceteris characteribus, huic Dei servo attributis.

Hoc igitur vaticinium de primo Messiae adventu agit, et pluribus exponit, quod Zachariam 9, 9—10. paucioribus complexum fuisse vidimus, cum vaticinatur, adventurum regem justum, afflictum quidem, sed salvatum, asino vectum seu prorsus pacificum, et nihilominus sine armis latissimo imperio potiturum, atque hunc regem, quem antiquiores Prophetae, Jeremias, Ezechiel, aliique, uti et ipse noster Propheta, cum reditu ex exilio jungebant, Zacharias ultra tempora Alexandri removet,

neque tamen in visione optica ex longinquo, tempus hujus primi ejus adventus discernere poterat, quod Danielem secundo ejus adventui definivisse vidimus.

Ultro quidem professi sumus supra, hoc vaticinium esse digressionem, neque tamen propterea omnis nexus cum antecedentibus et subsequentibus desideratur. Nam quemadmodum Zach. 9, 9, — 10. bellatori Alexandro opponitur venturus Messias justus afflictus, salvatus et pacificus, qui sine bellis vastissimum imperium adipiscetur: ita nostro loco felicitati reditus in patriam Jes. 52, 4—12., opponitur beatitudo multo major et latior, paranda per Messiam, quem Deus 52, 13—15. annunciat humiliatum quidem et deformatum primum, sed dein fore celsissimum. Inducuntur deinde 53, 1—9. gentiles admirabundi, narrantes, ipsum sponte poenas peccatorum alienorum luisse, quod demum Deus 53, 10—12. confirmat, et ejus beatitudinem et celsitudinem, atque innumerabiles, etiam potentes asseclas ei subjectos, i. e., latissimum ejus imperium, repetit. Subsequenti capite 54. regreditur oratio ad reditum, et Jerosolymis interim promittitur multitudo civium, dilatatio finium et divina protectio. Verum c. 55. rursus promittitur Messias. Praemissa enim invitatione, ut haec praesentia, gratis et immeritis oblata beneficia reditus, acceptentur, subjungit Deus v. 3—5.

Nam pangam vobiscum foedus (promitto) 3.
Beneficia Davidis permanentia.
Ecce doctorem populis dabo eum, 4.
Principem et praeceptorem populis.

Ecce gentes, quas non noveras, vocabis, 5.
Et gentes, quae te non noverant, ad te current
Propter Jehovam Deum tuum,
Et propter Sanctum Jsraelis, qui te glorificabit.

Quanquam enim beneficia Davidis, חַסְדֵי דָוִד 2 Paral, 6, 42, esse fortasse possint generatim beneficia a Deo Davidi collata, additum tamen nostro loco epitheton: *permanentia, stabilia, perpetua*, נֶאֱמָנִים, hunc sensum non admittit, sed amplius aliquid innuit, quam illa, minime perpetua, beneficia collata Davidi, qui pluribus annis a Saulo exagitatus, in bello Nisibeno magnas clades passus, a filio Absolomo regia pulsus, et denique peste castigatus fuit; respicitur itaque illa stabilis et firma promissio throni perpetui in familia Davidis, quae refertur 2 Sam. 7, 13—16. 2 Paral. 17, 12—24., et explicatur Ps. 89, 29—38. Conf. Act. 13, 34. Sensus igitur est: *dabo vobis illud grande et perpetuum beneficium Davidi promissum*, nempe Messiam, ut חַסְדֵי דָוִד הַנֶּאֱמָנִים sit pluralis magnitudinis. Id confirmatur subsequente mox versu 4., qui medias inter promissiones verti non potest in praeterito, sed necessario, uti praecedentia et sequentia, in futuro vertendus est, et alterum Davidem promittit doctorem, principem et praeceptorem vel legislatorem gentium, sicut etiam Jeremias 30, 9., et Ezechiel 34, 23—24. et 37, 24—25. Messiam compellant nomine Davidis; et ultimo quidem loco Ezechiel diserte dicit, Davidem fore *perpetuum* Hebraeorum principem. Ita etiam conversio gentium ad verum Deum, quae sequenti

versu 5. promittitur, et alias Messiae jungitur, hunc loci sensum confirmat. Ceterum עֵד v. 4. non significare **testem**, sed **doctorem aut monitorem**, parallelismus נָגִיד et מְצַוֵּה evincit, et confirmat usus verbi הֵעִיד de doctrina et monitis, Exod. 19, 21. 23. 1 Reg. 2, 36. 42. 2 Reg. 17, 13. 15. 2 Paral. 24, 19. Neh. 9, 26. 29. 30. 34. Jer. 11, 7. 42, 19. Ps. 50, 7. 81, 9. Et תְּעוּדָה Jes. 8, 16. 20. quoque de doctrina usurpatur. Verbum etiam Arabicum عاد med. Vau non solum est: **rediit, reversus est**, sed etiam **evasit doctus**, et in II. **assuevit, edocuit, consuetudinem introduxit praecepitque**, unde معود et معيد est **gnarus, exercitatus**, conf. et Schleusneri Lexic. in N. T. P. II. p. 68 — 69 in *μάρτυρ* et *μαρτυρέω*, quae verba respondent Hebraicis עֵד et הֵעִיד.

Dissentientium argumenta.

Ne dissentientes prorsus praeteriisse videamur, in exemplum adducemus et examinabimus praecipua argumenta, quibus Ammon in Bibl. Theolog. Germanice edita P. II. p. 40. seqq. probare contendit, characteres hujus servi Dei non convenire Messiae Jesu. Sunt autem sequentia.

I. „ Jesus non fuit ita deformatus et contemtus, „qualis a Propheta describitur servus Dei; sed, ut Lu„cas scribit, **profecit sapientia et gratia** „**apud Deum et homines**, et erat spectabilis doctor populi." — Idem Lucas nihilominus diserte

narrat, Jesum non solum ex humiliata et in obscuritatem delapsa prosapia Davidis ortum, sed etiam Bethlehemi in stabulo natum esse, et sine ulla dignitate, sine familiaritate cum eruditis illustribus, proceribus, sacerdotibus et summis pontificibus adolevisse, praeter unicum congressum cum doctoribus in templo Luc. 2, 41 — 50. ex ejus juventute nihil memorabile refert. Quod Lucas 2, 51. 52. scribit, Jesum juvenem, uti aetate, ita sapientia et gratia, apud Deum et homines profecisse, non amplius dicit, quam illam morum innocentiam praesetulisse, quae Deo et hominibus accepta et grata est, nequaquam autem innuit externam dignitatem, splendorem, magnificentiam aut gratiam magnatum, illustrium et procerum. Matthaeus 13, 55. et Marcus 6, 3. referunt, Jesum in adolescentia artem nutritii sui exercuisse, ideoque a Judaeis fuisse contemtum. Judaei Joh. 7, 15 dicunt, eum nequaquam eruditis magistris usum, nec more eruditorum instructum fuisse, quod illi honorem conciliasset. Hinc et Apostolos suos ex hominibus plebejis selegit, nec ullibi legimus, eum proceres salutasse. Pauci eruditi et illustres, qui ipsi consentiebant, sententiam suam celabant, Matth. 27, 57—59. Marc. 15, 43—45. Luc. 23, 50—51. Joh. 19, 38. Nicodemus eum noctu convenit, Joh. 3, 1—21. Reliqui eruditi et proceres eum dicebant violatorem sabbathi, peccatorem, blasphemum, commessatorem et potatorem, peccatoribus familiarem, per Beelzebul ejicientem daemonia, seductorem, et rebellem in Caesarem, Matth. 10, 25. 12, 24. 20, 17—20. 26, 67—68.

27, 27—31. 38—44. 63. Marc. 3, 22. 10, 33—34. 14, 65. 15, 16—20. 25—32. Luc. 5, 21. 30—31. 7, 34. 11, 15, 15, 1—2. 16, 14. 18, 32—33. 19, 7. 22, 62—65. 23, 8—12. 32—34—39. Joh. 7, 7. 12. 15. 20. 27. 32. 42. 47. 48. 49. 52. 8, 49. 52. 9, 16, 22. 24. 28. 10, 19—21. 31. 39. 57. 15, 20. 18, 22. 19, 2—5. 12. 18. — Ceterum nostrum vaticinium non adeo munus doctoris, quam passionem et mortem Jesu respicit, ut nihil proficiat, qui dixerit, Jesum fuisse spectabilem populi doctorem.

II. „Per Jesum Judaei non sunt redditi feliciores, „ut Jes. 53, 5. promittitur; sed sibi ipsi exitium arces„siverunt." — Mirandum profecto, Christianum theologum felicitatem moralem non discernere a felicitate civili. Illam promittit vaticinium, et consecuti sunt etiam Judaei permulti, qui in Jesum crediderunt; increduli autem utramque propria culpa amiserunt, et, prout Malachias et Daniel praedixerant, civitate eorum eversa, etiam patria pulsi sunt. Si de his nulla est in nostro vaticinio mentio, meminisse oportet, hoc vaticinium de primo ejus adventu agere, et etiam illud in memoriam revocandum, vaticinia non esse historias, nec quaelibet complecti omnia illa, quae futura erant. Denique non sunt Judaei, sed ethnici, qui in nostro vaticinio sibi gratulantur de salute seu immunitate a poena, quae ipsis per passionem hujus servi Dei obtigit.

III. „ Servus Dei moritur, quin aperiat os suum, „cujus contrarium de Jesu legitur Matth. 27, 26." — Quis non miretur, hoc dictum excidisse theologo?

nam in vulgus notum est, non aperire os suum, consuetam esse loquendi formulam, cum dicere volumus, se non operose defendere, quod aliunde innocenti, injuste oppresso non solet prodesse. Sic legimus Ezechiel. 16, 63. 29, 21. פִּתְחוֹן פֶּה apertionem oris pro defensione, pro libertate et fiducia loquendi, et ita quoque, sed alia ex caussa, Prov. 24, 7. בַּשַּׁעַר לֹא יִפְתַּח פִּיהוּ in porta (in foro judiciali) non aperit os suum. Ita et Syri alio flexu dicunt נְפַק הוּא רוּחָא exiens fuit, i. e. exibat halitus, i. e. defendit se, et מַפַּק רוּחִי eductio halitus mei, i. e. defensio mea. Nec aliter Chaldaei, ut docet Buxtorfius in Lexic. Chald. Thalm. Rabb. sub voce פִּתְחוֹן. — Jesum autem non multa oblocutum fuisse judicibus injustis, sed ultro suscepisse mortis sententiam, legimus Matth. 26, 62. 27, 13. 14. Luc. 22, 67—68. 23, 9. Marc. 14, 60—61. 15, 5. Joh. 18, 19—24. 33—37. 19, 9—11. conf. meam Germ. Bibl. Arch. II. Th. II. B. §. 361—371. Apte nostrum locum circumlocutus est Petrus 1 ep. 2, 23.: ὃς λοιδορȣμενος ȣκ αντελοιδορει, πασχων ȣκ ηπειλει, παρεδιδȣ δε τῳ κρινωντι δικαιως. — Si theologo visum est, ita argutari, litem etiam Prophetae movere poterit, qui scripsit, oves coram tonsoribus suis non aperire os suum; nam constat, eas non raro balare.

IV. „Servus Dei in hoc vaticinio e terra vivo„rum tollitur in perpetuum, Jesus autem e sepul„cro redivivus prodiit.„ — Id fere est, velle fraudem facere lectoribus incautis; qui enim intelligunt, quod

legunt, non observare non possunt, servum Dei morte violenta sublatum, et v. 10 nihilominus longaevum, non aliud innuere, nisi fore redivivum. Conf. Joh. 12, 34—36.— Sed jam satis est argutiarum, quas lectoribus dijudicandas relinquo. Id unum iterum iterumque non monere non possum, omnes difficultates, quae moventur, esse quaesitas et artificiosas, quae unico responso refutantur, vaticinium hujus generis, Judaeis promulgatum, et ab ipsis opere complendum, si clarius fuisset, nunquam opere compleri, ideoque non clarius revelari potuisse.

Observatio de antiquioribus vaticiniis.

Vidimus hactenus praedictum fuisse Messiam, dominum templi, nempe illum summum Dei legatum Jehovam qui olim cum Hebraeis foedus pepigit, et qui nequaquam, ut optabant Hebraei, gentes a Deo alienas, sed ipsos improbos Hebraeos, inprimis posteros Levi, severe puniturus, et regionem eorum perpetua internecione deleturus esset, Malach. 2, 17—3, 1—6. 13—21.: vidimus praedictum fuisse principem unctum seu inauguratum, qui definito tempore (a reditu ex Babylone post 622 annos) per venturum populum eversurus esset Jerusalem et templum sine ulla spe restitutionis, ut gens Hebraea, populus Dei, jam non sit futurus populus illius principis, Dan. 9, 25—27.; vidimus praedictum fuisse regem, sedentem ad dexteram Dei, seu gubernationis divinae participem, judicem gentium belligerantium, populos vincentem, seu omnia impedimenta regni sui amolientem, et sacerdotem perpetuum more Melchizedeki, Ps. 110.; vidimus

autem, eum quoque praedictum fuisse regem, post Alexandri tempora venturum justum, et afflictum quidem, sed salvatum, pacificum, et nihilominus sine bellis latissimo imperio potiturum, Zach. 9, 9—10.; vidimus denique, ipsum ex humiliata prosapia oriturum, sine dignitate, sine splendore adulturum, imo contemtum fore, innocentem pro peccatis aliorum afflictum, et judicio oppressum violenta morte sublatum iri, seipsum sponte oblaturum pro peccatis aliorum sacrificium, sepulcrum, etsi apud facinorosos assignatum, adepturum apud divitem, et nihilominus fore longaevum; per haec omnia multos redditurum esse justos seu a poena liberaturum, eosque etiam potentes et magnates, obtenturum discipulos et sectatores, ac ipsi fore subjectos, seu amplissimum imperium adepturum esse, et ad summam dignitatem et celsitudinem evectum iri, Jes. 52, 13—53, 12. — Alia autem antiquiora de Messia vaticinia, quae nunc tractanda veniunt, ab Ezechiele, Jeremia, Jesaia, Micha, Hosea et Amoso edita, alterius sunt generis; laetiora enim promittunt, prout genti, a propriis regibus et ab hostibus, inprimis ab Assyriis et Chaldaeis afflictae, congruebant, ut vexati malis, et oppressi calamitatibus, spe et exspectatione venturi aliquando liberatoris reficerentur, et ita in religione veri Dei corroborarentur, atque hac ratione cognitio et cultus Jehovae usque ad tempora hujus magni sospitatoris propagaretur. Salus autem illa moralis, et aeterna, quam Messias allaturus erat, nec diserte annunciari, nec propriis verbis exprimi poterat; animi enim illa aetate infantiae aut adolescentiae hu-

manitatis, nondum erant praeparati; nec illa, in vita futura felicitas proborum, per Messiam paranda, verbo tangi poterat, quia nequidem aliqua sortis proborum et improborum post mortem diversitas cognita erat, quam Judaei demum post exilium, fortasse per Mehestanos attentiores redditi, ex aequali fere proborum et improborum in hac vita sorte, et ex infinita Dei justitia, rite concluserunt. Mors violenta, cui Messias pro peccatis aliorum se ipse offeret, ut vidimus, praedicta quidem fuit, sed dictionibus et phrasibus expressa, non omni ex parte perspicuis et definitis, quae ab implemento vaticinii illustrationem exspectabant. Ut Messias disertis verbis sisteretur spiritualis animorum rex, abrogator legis Mosaicae et doctor religionis perfectae, quae adultae demum humanitati accommodata esset, non erat locus illa aetate, qua adulta humanitas et religio perfectior quam Mosaica, ignorabatur. Promissio hujus generis, homines, quales illis temporibus erant, non recreasset et nequidem movisset. Quae igitur de Messia dici poterant, laetioribus ecclesiae et civitatis Mosaicae involucris tegenda, et imaginibus, ab adjunctis illorum temporum, et inprimis a felici Davidis aetate depromtis, exprimenda erant. Qui alia clariora, et terminis propriis concepta de Messia vaticinia ab antiquis Prophetis requirunt, et, quia non inveniunt, haec ipsa, quae habemus, magnifice contemnunt et explodunt, non norunt se transferre in statum humanitatis illorum temporum, uti etiam ipsimet facile intelligent, si, qualis fuerit illis seculis humanitatit conditio,

majori contentione investigare et considerare velint. — Tractabimus itaque nunc promissiones Messiae laetiores quidem, sed obscuriores et minus definitas; quare memores esse oportet, imagines esse, quae nec proprie intelligendae, nec ad vivum resecandae sunt. Prophetae hi jungunt Messiam, ut jam supra obiter indicavimus, fere semper cum reditu ex exsilio, quia in optico e longinquo prospectu intervalla temporum non discernebant. Hinc nasci facile posset suspicio, illos viros Dei fuisse dubios, an non Messias futurus esset ductor illorum, qui quondam ex exsilio redituri erant; verum nullus Prophetarum hanc sententiam diserte profitetur. Temporibus illorum Prophetarum, qui exsilium Assyriacum et Babylonicum praedicebant, de eo inprimis agebatur, ut Hebraei edocerentur, Messiam, seu alterum Davidem, quo nomine ipsum fere perpetuo compellabant, non jam illo tempore, ut hostes coaevos caedat, et captivitatem amoliatur, esse venturum; necessarium omnino erat, ut diserte et clare praediceretur exsilium et reditus in patriam, cui quidem, ut mox diximus, in orationibus suis Messiam jungebant, sed tempus adventus indefinitum relinquebant, quia ipsis revelatum non fuit, nec ad rem, de qua agebatur, pertinebat. — Haec observatio, ex adjunctis illorum temporum deducta, alta mente reposita maneat, cum vaticinia sequentia ordine retrogrado, ut jam consuevimus, interpretabimur.

Ezechiel.

Ezechiel quatuor locis eversioni regni Judae subjungit promissionem, thronum Davidis aliquando re-

atitutum iri, quia venturus esset Messias, quem nomine Davidis compellat; illis namque temporibus alia non erat imago, quae notior esset et magis congrueret. Primum hujus generis vaticinium legitur:

Ezechiel. 17, 22—24.

Quinque vel quatuor annis ante eversam civitatem Judaicam Ezechiel c. 17, 1—10. duabus imaginibus (nempe rami, ab aquila ex cacumine cedri decerpti et Babylonem deportati, atque vitis ad aquas plantatae), et mox v. 11—21 verbis propriis sistit regem Jojachinum seu Jechoniam, a Nebucadnezare Babylonem deportatum 2 Reg. 24, 8 — 17. Paral. 26, 29 — 10., et Zidkiam ab eodem ad thronum evectum, et sacramento ad fidem adstrictum, qui autem clam foedus cum rege Aegypti pepigit, qua tamen nefanda violatione jurisjurandi nihil proficiet, nec illis suppetiis Aegyptiacis juvabitur, sed capietur et Babylonem deportabitur, asseclae et milites ejus partim gladio peribunt, partim dispergentur, et ita prosapia Davidis throno privabitur. His infaustis casibus Deus, qui hoc capite loquitur, opponit promissionem allegoricam priori similem:

„Demum accipiam ego (Jehova) ramum 1) 22

---

1) מִצַּמֶּרֶת de ramo, seu collective de ramis, nempe aliquem, seu ramum quempiam. Haec vox duntaxat Ezechiel. 17, 3. 22. 31, 3. 10. 14. occurrit, ubi autem notio rami per substratam materiam figitur, et confirmatur collato ضمر gracilis fuit

„de illa cedro procera 2), et figam illum in hu-
„mum 3); de vertice ramorum ejus tenerum de-
„cerpam 4), et plantabo ego 5) eum super montem

---

uti et mox cum רַךְ tener, permutatur, et Ezech. 31, 3. opponitur ramis crassioribus, עֲבֹתִים. Antiquorum nullus vocem intellexit: Alexandrinus vertit: εκ των εκλεκτων, et Syrus, ipsum secutus, מִן גְּבֵיָא ex selectis; Vulg. de medulla; Chaldaeus autem tropum sustulit, et rem ipsam expressit, מִמַּלְכוּתָא דְּבֵית דָּוִד aliquem de regia familia Davidis. — Ego accipiam, opponitur Nebucadnezari, qui ramum (regem) sustulerat, et alium plantaverat.

2) הָאֶרֶז הָרָמָה, cum articulo, certam et celebrem cedrum altam, nempe prosapiam Davidis, designat, ut jam observavit Chaldaeus.

3) וְנָתַתִּי et dabo, intellige: illum ramum, i. e., ponam, figam illum in humum; respondet enim sequenti synonymo membro: וְשָׁתַלְתִּי et plantabo.

4) אֶקְטֹף decerpam, respondet praecedenti membro לָקַחְתִּי accipiam; קָטַף occurrit de vellendis spicis Deut. 23, 26., de decerpendis vel amputandis ramis Ezech. 17, 4. 22., de abscindendo junco et halimo Job. 8, 12. 30, 4.; قَطَفَ vindemiavit.

5) Repetitum ego, אֲנִי, oppositum est, ut jam annotavimus, aquilae, quae ramum decerpsit v. 3, et vitem plantavit v. 5., seu Nebucadnezari, qui Jojachinum regno destituit, et Zidkiam regem designavit

„altum et elevatum 6); super montem excelsum re- 23
„gionis Israelitarum 7) plantabo ipsum, qui edet ra-
„mos, feret fructus, et fiet cedrus magnificen-
„tissima 8), sub qua commorabuntur aves omnis
„generis; commorabuntur sub umbra ramorum
„ejus. 9) Inde agnoscent omnes arbores campi, 24

---

6) תָּלוּל ἅπαξλ., Chald. תְּלִיל; תֵּל Hebr. et Aram. = تَلّ tumulus, collis; hinc quod est exaggeratum seu elevatum.

7) עַל הַר מְרוֹם יִשְׂרָאֵל super montem celsitudinis (excelsum) Israelis. i. e. super montem Zion, conf. Ezech. 20, 40. 34, 14.

8) עָנָף ramum, collective ramos. — אֶרֶז אַדִּיר, in gradu superlativo, cedrum magnificentissimam indicare, series orationis, et quae mox sequuntur, indicant. Cedrus est imago regis, Ezech. 17, 3. 31, 3—5. Jes. 2, 13. Rami et fructus indicant felicitatem regni, et pertinent ad integritatem imaginis.

9) דָּלִיּוֹתָיו palmites vel rami ejus; Syrus vocem retinuit, quae descendit a דָּלָה extraxit, et, ut دَلَو, hausit ope situlae aquam, in V. propendit deorsum, ut ramus; unde דְּלִי situla, et, דָּלִיָּה ramus, Jer. 11, 16. Ezech. 32, 7. 9. 12. עוֹף כָּל־כָּנָף, collective: aves omnis alae, i. e. gentes omnis generis, Ezech. 31, 6. Dan. 4, 9.; commoratio sub umbra ramorum arboris, designat

„esse me, qui arbores altas deprimo, et arbores „humiles exalto, arbores virides arefacio, et ar- „bores aridas revirescere facio. 10) Ego Jehova „id promitto et praestabo."

Expositio Ezechiel. 17,22—24.

Vaticinium itaque promittit, ex prosapia Davidis, postquam amisso sceptro humiliata fuerit, aliquando, tempore prorsus indefinito, et singulari prorsus modo, oriturum regem celsissimum, cujus imperio et tutelae se committent homines ex omnibus gentibus, et Deum verum agnoscent summum omnium gubernatorem. — Hunc regem non esse Zerubabelem, ut censuit R. Kimchi et Grotius, quilibet facile videt; nam hic non erat nisi dux et praeses novae Judaeorum coloniae non magnae, et ab imperio diversarum gentium tantum abfuit.

---

protectionem et praesidium, quod rex ille celsissimus praestabit.

10) Quemadmodum cedri excelsae sunt reges: ita arbores campi, oppositae cedris montis Libani, sunt homines reliqui, qui agnoscent verum Deum summum gubernatorem omnium, cujus opus est elevatio et humiliatio regum. Innuitur itaque, illum regem celsissimum ex humiliata prosapia Davidis, et quidem ex sera ejus posteritate, oriturum esse, quia ramus ex vertice cedri decerpendus dicitur v. 22.; atque ita inaugurandum et exaltandum esse, ut appareat, esse opus potentiae divinae.

ut neque reliquis extra Judaeam Hebraeis praeesset. Hinc plures quoque Judaei doctissimi locum de Messia interpretantur, cujus vastissimum imperium in diversissimas gentes, quin ulla bellorum fiat mentio, praedicitur, et qui admirabili modo ad tantam dignitatem evehendus dicitur, ut appareat, esse opus divinum.

Ezechiel. 21, 29—32.

Quatuor vel tribus ante eversionem Jerosolymorum annis Ezechiel c. 20, 1—44 perversos et scelestos proceres, qui eum consulebant, reprehendit, et adjicit promissionem, illos, qui resipuerint, aliquando in patriam redituros; nunc autem c. 21, 1—28. Jerusalem evertetur, et c. 21, 29—32 (vel juxta alias editiones v. 24—27) sequenti comminatione et promissione concludit:

„Quapropter„, sic ait Dominus Jehova: „quia 29
„ita agitis, ut in memoriam redeant iniquitates
„vestrae 1); nam praevaricationes vestrae sunt

---

1) יַעַן הַזְכַּרְכֶם propter revocare vos in memoriam, i. e. quia in memoriam revocatis, seu quia ita, ut c. 20, 1-38. et c. 21, 1—22 dictum fuit, agitis, ut in memoriam redeat עֲוֺנְכֶם, perversitas vestra, seu collective, iniquitates vestrae. In memoriam revocantur iniquitates, ut puniantur; oblivioni tradi dicuntur, cum dimittuntur, et impunitae manent.

„manifestae 2), et peccata vestra conspiciuntur 3)
„in omnibus actionibus vestris; quia itaque ipsi
„vosmet in memoriam reducitis 4): manu capie-
„mini. 5) Quod autem ad te attinet 6), profane 7) 30

---

2) בְּהִגָּלוֹת in revelari, i. e., cum revelantur, manifesta fiunt; a גָּלָה revelavit, nudavit.

3) לְהֵרָאוֹת ad videri, i. e., ut conspiciantur.

4) יַעַן הִזָּכֶרְכֶם ob revocari vos in memoriam, seu quia in memoriam reducitis vos, vel reducimini, nempe actionibus vestris malis, ut poena sequatur.

5) כַּף תִּתָּפֵשׂוּ manu, i. e. praevalente potentia, capiemini; ante כַּף intelligendum est praefixum Beth. Recte circumloquitur Chaldaeus: in manum, i. e., in potestatem, regis Babylonis trademini.

6) וְאַתָּה Nominativus absolutus: quod ad te attinet.

7) חָלָל hoc loco non esse perfossum, vel perforandum, aut morte dignum, ut Chaldaeus interpretatur, a خَلّ, sed profanum, a حَلّ solvit, quasi sacris solutum, (ut Lev. 21, 7. 14 חֲלָלָה profana), docet sequens רָשָׁע scelestus. Hic est Zidkias, quocum Jeremias, qui sub ejus imperio degebat, mitius et submissius agit, quam hic Ezechiel, qui in ditione Nebucadnezaris commorabatur.

„scelerate princeps Jsraelitarum ! dies tuus 8)
„venit tempore poenae extremae. 9) Sic ait Je-
„hova: auferam cidarim, tollam diadema 10); hoc 31
„jam non amplius erit hoc; humilem exalta-
„bo, et altum humiliabo. Inversum, inver-
„sum, inversum 11) faciam istud; etiam hoc 32

---

8) אֲשֶׁר בָּא יוֹמוֹ cujus venit dies ejus, i. e. venit dies tuus, ut vertit Syrus, nempe emphatice, ut Chaldaeus circumloquitur: dies interitus, tempus retributionis peccatorum tuorum. Conf. Job. 18, 20. Ps. 37, 10. 1 Sam. 26, 10. Ezech. 21, 34.

9) בְּעֵת עֲוֺן קֵץ tempore iniquitatis finis, i. e. metonymice: tempore poenae finis, seu finalis, vel extremae, uti Ezech. 35, 5., ubi בְּעֵת עָוֺן permutatur, ut synonymum, cum בְּעֵת אֵידָם tempore calamitatis, ceu poenae eorum.

10) מִצְנֶפֶת cidaris sacerdotalis, in Bibl. Archaeol. Germ. I. Th. II. B. §. 150 p. 125—126. descripta, nostro autem loco, quo sermo ad regem dirigitur, est mitra vel infula regia, et sequens עֲטָרָה est diadema, conf. meam Bibl. Arch. II. Th. II. B. §. 165. p. 125. seq. — הָסִיר et הָרִים infinitivi sunt pro finito, vel intelligendum est אָסִיר et אָרִים ut Ezech. 23, 30. Lev. 6, 7. Jes. 57, 15.; nam Deus alloquitur principem; si imperativos esse statueris, summa sensus non mutatur.

11) עַוָּה ἅπαξλ., ab עָוָה II. invertit, subver-

„non erit 12), donec veniat ille, cujus est reg-
„num 13), et conferam ipsi. 14)"

Expositio Ezechiel. 21, 29—32.

Cum Prophetae, et inprimis Ezechiel, ut c. 17, 22—23, vidimus et c. 34, 22—30. 37, 21—28. porro videbimus, eversioni civitatis et regni Judaici subnectere soleant spem felicioris aevi et alterum Davidem, i. e. Messiam: dubitandum non est, eundem etiam nostro loco v. 32 indicari; nam etsi non memoratur diserte, latet tamen in sententia: donec veniat is, cujus est regnum, et conferam ipsi, uti et Judaei, Abarbanel et Abendana agnoscunt, immo etiam Para-

---

tit 2 Reg. 18, 34. 19, 13, Jes. 24, 1. 37, 13, ut עַוָּה sit inversio, subversio, seu inversum, subversum. Repetitio intendit significationem, conf. meam Gram. L. H. §. 41. p. 119. et Jer. 22, 29. 7, 4. Repetitionem trinam sortem Jojakimi, Joachini, et Zidkiae respicere, nimis quaesitum et artificiosum est. Ceterum vel pro neutro venit, vel ad diadema refertur.

12) Etiam hoc non erit, nempe quod nunc est; alii referunt ad diadema, quod jam non erit.

13) מִשְׁפָּט in hoc sermone de cidari regia et de diademate, est regnum, ut Ps. 72, 1. conf. Exod. 28, 25. et שֹׁפֵט in libro Judicum. Respici ad Gen. 49, 10., jam observarunt Onkelos, Pseudo-Jonathan et Jerosolymitanus ad Gen. 49, 10.

14) In נְתַתִּיו suffixum exprimit Dativum ut Jos. 15, 9.

phrastae Chaldaei perspexerunt, qui Gen. 49, 10. ellipsin ex collato nostro loco suppleverunt, et verba ultima Gen. 49, 10. de Messia interpretati sunt. Nec opus erat, ut Ezechiel alterum Davidem diserte nominaret, quia verba ejus ex c. 17, 22 — 23 et ex 2 Sam. 7. 1. Paral. 17., ac etiam ex Gen. 49, 10. lectori cuilbet erant liquida. — Qui hanc sententiam Prophetae ad Nebucadnezarem trahunt, ut sensus sit: tale quid, ut diadema auferretur, non accidit, donec veniret is, qui jus, a me ipsi tributum, haberet, vel, qui jus (ut 2 vel 4 codices לא pro לו legunt) non haberet, nisi a me ipsi tributum fuisset, nempe Nebucadnezar, vocem מִשְׁפָּט cidari et diademati parallelam, male per jus reddunt, ac ex mente ipsius quoque Rosenmülleri ad h. l., saltem jejunum et languidum sensum verbis affingunt, praeterquam quod in analogiam vaticiniorum peccant, quae, non quidem semper, sed plerumque comminationi promissionem subjungunt. Accedit, quod hae sententiao, ita expositae, minus apte cohaereant cum praecedentibus. Ceterum nostro loco nullus Messiae character, nisi regnum, annunciatur.

Ezechiel. 34, 22—30.

Pridie quam ad Judaeos, in ripis fluvii Khebar seu Cabor exsulantes, venit nuncius de eversione Jerosolymorum, Ezechiel c. 33, 21 — 32. praedicit plenum incolarum exitium, ruinas urbis et vastationem regionis. Inde invehitur c. 34, 1 — 7. in pastores, i. e., in reges, qui sua imprudentia et perversa gubernatione extremam hanc calamitatem genti induxe-

runt; quare 34, 8—10. munere suo movebuntur, uti c. 17, 1—21. et c. 21, 30—32. praedixerat; dehinc 34, 11—16. jam Deus ipse erit pastor ovium suarum dispersarum, i. e. erit rex, gubernator et curator populi sui in exilium ejecti, qui autem aliquando in patriam revertetur. Propheta 34, 17—21 digreditur ad reprehensionem arietum et hircorum gregis, i. e., procerum et praefectorum, qui populum petulanter, jam dolo, jam violentia, opprimebant et vexabant, sed, 34, 22—30. etiam ab his Deus populum suum eripiet, ei regem unicum Davidem praeficiet, et eum proteget et fovebit. Verum ipsa haec verba Dei, qui loquens inducitur, audiamus.

„Liberabo oves meas, ut non sint amplius 22
„in praedam; et justitiam administrabo inter ovem
„et ovem. 1) Praeficiam eis 2) pastorem unum 3), 23
„ut pascat eas, servum meum Davidem;
„hic pascet eas, et hic erit pastor earum. Ego

---

1) Deus jus dicet infirmioribus civibus contra opulentos, proceres et praefectos, i. e., illos eripiet ex oppressionibus et tuebitur, hos autem perversos magistratus puniet et tollet, ut populus respiret.

2) וַהֲקִימוֹתִי עֲלֵיהֶם et constituam super eos, i. e., praeficiam eis, ut Deut. 28, 36. Suffixa in hac oratione jam sunt masculina, jam foeminina pluralia, quia collectivum צֹאן includit pluralitatem, et est generis communis.

3) רֹעֶה אֶחָד pastorem unum, i. e., prorsus sin-

„Jehova ero eis Deus 4), et servus meus David 24
„erit princeps inter eos, ego Jehova id promitto.
„5) Pangam pro ipsis foedus pacis 6), et abigam 25
„feras malas ex regione 7), ut possint secure ha-
„bitare in desertis, et dormire in sylvis. 8) Red- 26

---

gularem, excellentissimum, vel unum, non duos, ut olim reges Israel et Juda; verum de hac phrasi plura dicemus infra c. 37, 25., ubi reccurret.

4) Ego ero eis Deus, non tantum agnoscar Deus, sed, ut ex sequentibus adparet, me Deum benefactorem et protectorem eorum opere ipso ostendam, ut ex v. 22. 25. liquet, cf. Ezech. 11, 20. 36, 28. 37, 24—25.

5) דִּבַּרְתִּי locutus sum, i. e., promitto, ut substrata materia docet.

6) כָּרַת secuit, scidit; de pangendis foederibus usurpari, in Archaeol. Bibl. Germ. P. III. §. 104. p. 396—400. ostendimus. Cum Lamed, nomini personae praefixo, promissionem huic personae, aut in commodum ejus factam exprimere solet, ut Jos. 9, 6. 1 Sam. 11, 1. Exod. 23. 32. 34, 12—15. Deut. 7, 2. Foedus pacis cum feris pro ovibus, harum securitatem designat; promittitur itaque securitas ab hostibus, prout in sequentibus exponitur.

7) מִן הָאָרֶץ ex terra, i. e., ex regione Palaestina, de qua in sequentibus sermo est.

8) Imago securitatis ab hostibus, uti v. 27. et 28. propriis verbis exprimitur.

„dam eos circa collem meum felices 9); demittam
„pluviam tempore suo, imbres erunt fertiles. 10) 27
„Arbores campi ferent fructus suos, et terra pro-
„ducet fruges suas; erunt in regione sua securi, et
„agnoscent, me esse Jehovam, cum fregero vec-
„tes jugi eorum, et eos eripuero de potestate illo-
„rum, qui eis utebantur servis 11). Non amplius 28
„erunt gentibus in praedam, et ferae terrae non
„vorabunt eos, sed habitabunt securi, nec erit 29

---

9) Felices, בְּרָכָה benedictio (abstractum pro concreto), benedicti, i. e, felices.

10) Intelligitur pluvia autumnalis et vernalis, et haec nec nimia, nec parca, sed sufficiens, quae sit fertilis. Conf. meam Germ. Bibl. Arch. I. Th. I. B, §. 29. S. 153. 155 — 156. Hinc sequitur v. 27. descriptio fertilitatis, ex illa pluvia oriturae.

11) Agnoscent, Jehovam esse verum Deum, cum eos ex captivitate Babylonica liberaverit, uti et contigit; nam Judaei post exilium erant in religione sua constantes, et, cum aetate Antiochi Epiphanis non pauci deficerent, reliqui tamen magno animo vitam pro religione profundebant. Id in exilio, in quo Judaei, teste ipso Ezechiele, in religione valde vacillabant, sola ratione duce praevideri non poterat. הָעֹבְדִים בָּהֶם qui eis utebantur servis; עָבַד cum Beth, personae praefixo, usurpatum, est aliquo uti servo, ut Lev. 25, 39. 46. Jer. 22, 13. 30, 8. 34, 9

„qui exterreat. Constituam cis plantarium incly-
„tum 12), nec erunt jam, qui in regione fame ab-
„sumantnr, nec ferent amplius contumeliam gen-
„tium. 13) Agnoscent, me Jehovam Deum eornm 30
„ipsis adesse, et ipsos esse populum meum, fa-
„miliam Israelis" 14.), est effatum Domini Je-
hovae.

---

12) מַטָּע veteres interpretes vertunt φυτον, plantam, germen; recte autcm observavit Rosenmüllerus, formam hanc auctam per Mem, significare locnm plantationis, quod elucet quoque ex Ezech. 17, 7. 31, 4. Mich. 1, 6. Additum שֵׁם h. l. significat famam, honorem, celebritatem, cujus locum alias in similibus sententiis occupat לְהִתְפָּאֵר ad gloriandum, seu, ut de eo gloriari possim. Jes. 60, 21. 61, 5. conf. et Deut. 26, 19. Jer. 13, 11. Zeph. 3, 19. Deus faciet eis plantarium inclytum, i. e, rempublicam gloriosam condet.

13) אֲסוּפֵי רָעָב collecti, seu consumti fame, ut Zeph. 1, 2. Contumelia gentium, nempe, ut mox praecedens membrum postulat, contumelia, quae a gentibus ob famem infertur, quasi Deus nollet aut non posset eos javare, et ipsis fertilitatem concedere, alias autem dicitur alio respectn, ut Ezech. 36, 6. 15.

13) Ex beneficiis, quae praedicta sunt et complebuntur, inprimis ex reditu in patriam, agnoscent, Jehovam ipsos eripuisse et protegere, et

Ezechiel. 37, 21—28.

Praecedenti vaticinio mox subjungimus alterum perquam simile, et eodem aut non multo post tempore editum. Series orationis est haec: Propheta c. 35. Edomitis, qui Hebraeis infesti erant, Ezech. 25, 12—14 conf. Jer. 49, 7—22. Obad. 1—21. Ps. 137, 7., exitium, Hebraeis autem c. 36. reditum ex exsilio in patriam vaticinatur, quem 37, 1—14. sub imagine resurrectionis mortuorum sistit, atque praedicit 37, 15—20., olim in patriam restitutos, non rursus in duo regna, Juda et Israel, divisos, sed unum fore populum, qui abjecta idololatria Jehovam sincere colet, et unum habebit regem, et quidem in perpetuum, nempe Davidem. Verba huc pertinentia sunt:

Loquere ad eos: sic ait Dominus Jehova: 21
„ecce ego sumam Israelitas ex gentibus 1), ad quas

---

sese esse populum ipsi consecratum et dilectum, ut jam v. 27, praecessit. Hanc descriptionem securae commorationis in patria, et fertilitatem regionis non ad Messiam, sed ad tempora post reditum ex exilio pertinere, quilibet facile videt; in prospectu autem prophetico distantia temporum non observatur nec annotatur.

1) אֲנִי לֹקֵחַ ego sumens ero, i. e. sumam; de futuro enim tempore sermo est. מִבֵּין הַגּוֹיִם de inter gentes, i. e., ex gentibus, seu ex commoratione inter gentes Conf. Ps. 36, 24.

„abierunt; congregabo eos undique 2), et addu-
„cam eos in regionem suam. Faciam eos popu-
„lum unum in regione, in montibus Israelitarum;
„et rex unus erit ipsis omnibus 3); non erunt
„rursus duae gentes, nec separabuntur rursus
„in duo regna 4); nec rursus idolis suis abo- 23
„minandis 5) et omnibus suis praevaricationibus

---

2) קִבַּצְתִּי congregabo; קָבַץ = قبص digitis cepit, قبص et قبط manu cepit, comprehendit, congregavit. — מִסָּבִיב de circuitu, i. e, ex omni parte, seu undique. Eadem iisdem verbis promittuntur Ezech. 36, 24. 10, 17. 20, 34. 41. 39, 27. 28. 34, 13.

3) וּמֶלֶךְ אֶחָד יִהְיֶה לְכֻלָּם לְמֶלֶךְ et rex unus erit ipsis omnibus in regem, quod ultimum abundat.

4) יֵחָצוּ, VII. a חָצָה proprie dimidiavit, in duas aequales partes divisit; dein autem etiam generatim in duas partes divisit, Ps, 55, 24.; proprie videtur fuisse discidit, cui affine est خصى castravit exsectis testiculis. Ceterum conf. v. 19—20. bujus capitis.

5) גִּלּוּלִים non conferendum cum جلّ notione magnificus et illustris fuit, sed cum ejusdem notione stercus collegit, quia mox sequitur שִׁקּוּצִים abominabilia, et alias jungitur cum תּוֹעֵבוֹת abominationes, abominanda; indicantur idola, quae sunt trunci similes volubili pe-

„contaminabuntur; nam liberabo eos ab omnibus
„habitaculis, in quibus peccaverunt. 6) Mundabo
„eos, et erunt mihi populus, et ego ero illis Deus,
„ac servus meus David erit rex super
„eos; nam pastor unus erit ipsis omnibus; 24
„ad jussa mea se conformabunt 7), et decreta
„mea custodient, et exsequentur ea. Habitabunt 25
„in regione, quam servo meo Jacobo dedi, in
„qua habitarunt majores eorum; habitabunt in ea
„ipsi et filii eorum et filii filiorum ipsorum in per-
„petuum, et David servus meus erit prin-
„ceps eorum in perpetuum. Pangam cum eis 26
„foedus pacis; foedus cum ipsis erit perpetuum. 8)

---

cudum excremento; a גָּלַל volvit, גֵּלֶל stercus, 1 Reg. 14, 10. Adjunctum שִׁקּוּצִים videtur hendiadis esse, idola abominabilia.

6) Liberatio ab habitaculis, in quibus peccaverunt, videtur innuere loca exilii, in quibus permulti colebant idola; possunt tamen quoque intelligi sacraria idolorum, quae in Palaestina olim erant frequentia. Ceterum expressiones hujus versus occúrrunt quoque Ezech. 5, 11. 14, 11. 23, 3. 30. 34, 22. 36, 25. 29.

7) בְּמִשְׁפָּטַי יֵלֵכוּ in judiciis meis ambulabunt, i. e., ad jussa mea vitam suam instituent, seu leges meas observabunt, quas reapse post exsilium sollicite custodiebant.

8) אוֹתָם, loco אִתָּם, permutatio in scriptis recentioribus satis frequens.

„Plantabo eos, et multiplicabo eos, et dabo „sanctuarium meum inter eos, in perpetuum. „Habitaculum meum erit apud eos, et ero ipsis
„Deus, ac ipsi erunt mihi populus. Tum agnos- 28
„cent gentes, me esse Jehovam, qui sanctificat „Israelitas 9), cum sanctuarium meum perpetuo „apud ipsos erit."

Expositio vaticiniorum Ezechielis.

Vidimus primo Ezechielis vaticinio 17, 22—24. annunciari, regem celsissimum, a Deo ex posteris Davidis, throno privatis, demum aliquando excitandum, qui, modo prorsus singulari et divino, ad summam eminentiam evehetur, et sine vi armorum, omnium gentium homines verum Deum agnoscentes, praesidio suo fovebit, conf. Joh. 10, 16. His altero vaticinio 21, 29 — 32. nihil additur; id enim solum repetitur, regnum istud illi regi celsissimo, cui competit, a Deo traditum iri. Postremis autem modo explicatis duobus vaticiniis, 34, 21—30. et 37, 21—28., ille idem celsissimus rex compellatur servus Dei David, qui

9) Alluditur ad significationem nominis יְהוָֹה, qui promissa sua opere complet. Ceterum monitione non indiget, sanctuarium et habitaculum Jehovae esse templum, et Jehovam sanctificaturum Jsraelitas, idem esse ac collatis beneficiis monstraturum, populum esse sibi consecratum, quem fovet et protegit.

rex Hebraeorum fore dicitur unus et perpetuus. Epitheton unus, אֶחָד 37, 24. diserte quidem opponitur antiquis duobus regibus Juda et Israel, et indicat, nullum fore schisma, sed unum futurum universi populi regem. Videtur tamen, non exclusa hac oppositione, aliquid amplius sublatere; nam annunciatus jam 17, 22—24. rex celsissimus, diversis etiam gentibus sine bellis imperaturus, et 34, 23. sine illa oppositione dicitur unus, et 37, 25. additur, ipsum fore regem Hebraeorum in perpetuum, לְעוֹלָם. — Dicitur quidem hoc ipso loco 37, 25. etiam secura et felix Hebraeorum habitatio in regione fore perpetua, לְעוֹלָם, et nihilominus solummodo de diuturna felici post exilium in patria commoratione intelligitur; verum exemplis innumerabilibus constat, vocem eandem, in eadem orationis serie, diversa notione usurpari; unde liquet, perpetuitatem, regi illi tributam, de vera aeternitate intelligi posse, et etiam intelligendam esse, quia Hebraei dicuntur quidem ipsi, filii eorum, et filii filiorum ipsorum, in regione habitaturi; de unico autem illo rege perpetuo nulla successio, nulli posteri memorantur, sed ipse dicitur fore rex unicus in perpetuum. Aliunde abnormis esset phrasis, qua longa series successorum diceretur rex unicus et perpetuus. Dubium, quod remanet, tollit Malachias, qui hunc regem expectatum dicit Dominum templi et legatum, qui olim foedus cum Hebraeis pepigit; et vidimus quoque supra auctorem Ps. 110. divinam eidem dignitatem tri-

buisse, ac Danielem eandem tacite innuere. Ex his omnibus collatis elucet, epitheton אֶחָד, saltem Ezechiel. 34, 23., ubi sine oppositione duorum regnorum occurrit, idem dicere, ac singularem et incomparabilem, uti haec vox Ps. 27, 4. Job. 9, 22. Gen. 49, 16., et in malum sensum ab ipso etiam Ezechiele 7, 5. usurpatur; atque haec notio, dialecto quoque Arabica confirmatur, in qua وَحُدَ est unus fuit, et incomparabilis fuit; أَوْحَدُ unus, incomparabilis; وَاحِدُ الدَّهْرِ unicus seculi sui, i. e., incomparabilis; إِحْدَى الْأَحَدِ una unius, i.e., res admiranda, et أَحَدُ الْأَحَدِينَ unus unorum, i. e. incomparabilis. Accedit denique, jam Ezech. 17, 24. dictum esse, hunc regem modo prorsus incomparabili ad summam eminentiam evectum iri. Hac ratione ambiguitas vocum עוֹלָם et אֶחָד etiam complemento vaticinii figitur; quod si aliqua obscuritas superesse videtur, non est alia, quam quae vaticiniis, quae non sunt historiae, propria est, et per subsequens lumen historiae illustratur. — Si forte quispiam moneat, in vaticiniis verba non ita esse premenda: audacter respondemus, consentiente complemento prorsus ita premenda esse, sicuti ubi Jesus dicit se tertia die a morte resurrecturum, aut ubi praedicit Petro trinam abnegationem ante galli cantum, et ita contigit. Matth. 26, 34. Marc.

14,30. Luc. 22, 34. Joh. 13, 38. et conf. Matth. 26, 69—75. Marc. 14, 66—72. Luc. 22, 56 — 62. Joh. 18. 27. Et interrogare liceat, an ipsi hi, qui id monent, non premant illos 70 annos a Jeremia captivitati praefixos, ut eos Prophetae et nobis eripiant, uti alibi dicemus.

Haec quatuor vaticinia itaque annunciant Messiam gloriosum, seu secundum ejus adventum, de quo etiam Mal. 3, 1. Ps. 110. Dan. 9, 25—27. sermonem esse vidimus; verum haec modo allegata loca cum nostris vaticiniis pugnare videntur; nam Malachias et Daniel praedicunt, Messiam eversurum esse Jerusalem, et regionem vastaturum; Ezechiel autem 34, 22—30. et 37, 21—28. promittit, Hebraeos illo tempore securos et felices in patria sua esse habitaturos, et templum fore celeberrimum. Difficultas haec, quae quibusdam videtur inextricabilis, disparebit, si meminerimus non cuilibet Prophetae fuisse revelata omnia, quae de Messia praedicenda erant, sed alteri hoc, alteri illud, et omnia vaticinia non esse nisi fragmenta quaepiam, quae invicem conferenda sunt, 1 Cor. 13, 9. Dein in memoriam revocandum est, quod jam saepe repetivimus, Prophetas in prospectu optico intervalla temporum non potuisse discernere, et hinc, quae prospiciebant, sine distinctione in unam adumbrationem congessisse, quod innuit Petrus 1 ep. 1. 11 — 12. scribens, Prophetas investigasse, quod aut quale tempus spectaret, qui in ipsis erat spiritus Christi. Ita Ezechiel non potuit discernere temporum diversitatem, nec hunc celsissimum regem, perpetuum Da-

videm, et securam habitationem in regione Canaan post exilium dissociare, nisi fortasse haec non sit nisi symbolum felicitatis alterius generis. Quia hac observatione in sequentibus saepius utendum erit, proderit eam alio exemplo illustrare.

Quemadmodum in nostris his vaticiniis Messias jungitur reditui Hebraeorum ex exsilio et securae felicique commorationi in patria: ita Jeremias c. 50—51. jungit non solum expugnationem sed etiam plenam eversionem Babylonis reditui Hebraeorum, etsi Babylon, per Cyrum insidiis capta, de antiquo splendore et munitione vix quidquam amisit; nam paulo post, munimentis suis confisa, defecit a Dario Hystaspis; rursus quidem dolo occupata fuit, sed etiam tum nonnisi portae aereae ei ademtae sunt, et altitudo moenium imminuta fuit. Alexander meditabatur ei antiquum splendorem reddere, sed morte praeventus est. Postquam autem 293 ante Christum Seleucus Nicator Seleuciam ad Tigrim aedificasset, multi incolae Babylonis eo commigrarunt. Anno 130 ante Christ., cum multi cives Babylonis levissimis de caussis in servitutem redigerentur, et in Mediam venderentur, ac etiam magna pars urbis incendio oonsumta esset: incolae eo magis imminuebantur. Nihilominus adhuc 40 anno post Christum Babylon, teste Josepho Arch. XVIII. 9, 8—9., non paucos numerabat cives. Ast seculo demum IV. et V. post Chr. penitus derelicta erat, et teste Hieronymo Comment. in Jes. 13—14., reges Parthiae moenibus pro vivario utebantur; posthac non memorantur nisi rudera, quae hodiedum adeo te-

nuia sunt, ut non observentur nisi quaerantur ab illis, qui locum, quem Babylon olim occupavit, bene noverunt. Conf. meam Germ. Bibl. Arch. II. Th. I. B, §. 50. S. 227. ff. §. 57. S. 247. ff. §. 58. S. 250. §. 73. S. 314. §. 82. S. 348. ff. Jam audiamus Jeremiam, qui omnia haec quasi simultanea adumbrat.

I. Exercitus hostilis contra Babylonem adveniet ex septemtrione, Jer. 50, 3. 9. 14. 16. 41 — 46. 51, 1 — 3. 48. Ejus duces erunt reges Mediae, Jer. 51, 11 — 13., sub quibus militabunt Ararat, Mini et Aschkenaz, Jer. 51, 27 — 28. 53. Bellum geretur pluribus annis, Jer. 51, 46.

II. Babylon capietur, nec dii, nec suppetiae impedire poterunt, Jer. 50, 2. 14 — 16. 21 — 29. 46. 51, 30 — 40. 57. Capietur sub gaudio, i. e., sub convivio Babyloniorum, Jer. 50, 11. 51, 39 — 40. 57. Capietur insidiis Jer. 50, 24. 51, 12., exsiccatione aquae (Euphratis) Jer. 50, 38. 51, 36., exustis arundinetis Jer. 51, 30 — 32. Cursores inducuntur regi nunciantes, vada esse capta et exusta, Jer. 51, 31 — 32. Clades Babyloniorum, depraedatio, incendium, Jer. 50, 21 — 22. 36 — 37. 51, 1 — 4. 30. 49. 54 — 58.

III. Urbs penitus vastabitur, ut nec homines, nec jumenta, sed ferae diversae in loco ejus commoraturae sint, Jer. 50, 13. 15. 39 — 40. 45. 51, 25 — 26. 29. 37 — 39. 43 — 44. 58. 62. Moenia funditus diruentur, Jer. 50, 16. 51, 44. 48. Denique Babylon a superficie terrae ita disparebit, sicut lapis in Euphratem projectus, Jer. 51, 63 — 64. coll. 51, 42.

IV. His omnibus interseritur dimissio Hebraeorum ex captivitate, et reditus eorum in patriam, Jer. 50, 4 — 8. 17 — 20. 51, 5 — 6. 45. 50 — 53. Quare durante diuturniori bello animos non despondeant, Jer. 51. 46 — 50.

Quae nro I et II recensuimus, contigerunt, quando Cyrus cepit Babylonem, et tertio abhinc anno captivi Hebraei dimissi sunt in patriam, cujus dimissionis promissiones nro IV collegimus; illa autem plena urbis eversio nro III. abhinc mille circiter annis subsecuta, in vaticinio nihilominus, quasi simultanea, juncta est occupationi urbis et reditui Hebraeorum. Hi eventus, tanto temporis intervallo distantes, juncti leguntur etiam Jes. 13, 1 — 19 — 22. 14, 1 — 2 — 20. Plurima hujus generis exempla congerere, parum esset negotii, nisi attentus et historiae gnarus lector ipse facile observare posset. Mirum itaque videri non potest, nec argutandum est, si Messias jungitur reditui Hebraeorum, aut securae habitationi in Palaestina, quae Hebraeis contigit sub regibus Persis, Graecis et dein Hasmonaeis; nam inde minime sequitur, haec tempora esse Messiae simultanea, uti mox vidimus, plenam eversionem Babylonis, junctam quidem reditui Hebraeorum, multis tamen seculis esse posteriorem. In vaticiniis hujus generis sensum subjectivum ante complementum valde fuisse obscurum, ideoque a sensu objectivo, qui ex eventu hauriendus est, sollicite distinguendum esse, res ipsa loquitur.

Jeremias.

Jeremias, Ezechieli coaevus, sed ab eo, ad fluvium Cabor exsulante, longissimo terrarum tractu distans, eidem tamen in omnibus consentit, nisi quod c. 1, 10. a Deo inprimis constituitur super gentes et regna, ut diruat, evellat, exstirpet, et evertat, atque rursus aedificet et plantet, i. e., ut praedicat, gentes et regna evertenda et rursus condenda esse. Hoc munus suum, quod saepius memorat, 18, 7 — 10. 31, 28. 42, 10. 46, 4., sedulo administrat, nec unquam fines ejus transilit, raro confinia attingit, uti conversionem gentium Jer. 3, 17. 11, 1 — 7. 16, 19 — 21., et Messiam Jer. 23, 1 — 8. 30, 4 — 11. et 33, 14 — 26., qui tamen locus ultimus non omni dubio exemtus est. Si itaque Jeremias, ut mox videbimus, non alium Messiae characterem praeter regiam ex stirpe Davidis originem et regnum ejus, attingit, meminerimus, amplius ad provinciam, ipsi a Deo assignatam, non spectasse, nec illis temporibus et lectoribus necessarium fuisse, sed illud unum suffecisse, ut spes liberatoris aliquando venturi alcretur, nec tamen jam tunc ad amoliendam captivitatem venturus exspectaretur.

Jerem. 23, 1 — 8.

Postquam Jeremias capite 22, 1 — 30. perverso regi Jojakimo, quem Necao, rex Aegypti, viginti circiter annis ante eversionem Jerosolymorum, deportato in Aegyptum Joachazo suffecerat, 2 Reg. 23, 30 — 36. 2 Paral. 36, 1 — 4., pradixisset, cadaver ejus, projectum extra urbem, sine luctu sepultum

iri, et filium ejus Jojachinum seu Jechoniam migraturum Babylonem, nec ullum posterorum ejus adepturum sceptrum, sed regnum Juda evertendum esse; conf. Jer. 22, 30. cum 36, 30.: reprehendit subsequenti c. 23, 1 — 2., sicut Ezechiel c. 34, 1 — 7. pastores seu reges Juda, sed paucioribus quam Ezechiel; mox autem v. 3 — 6., ut Ezechiel 34, 8 — 30., subjungit reditum Hebraeorum ex captivitate, et promittit, non solum rursus post reditum aliquando reges eisdem praefuturos, sed etiam insignem ex Davidis genere regem; hinc autem v. 7 — 8. denuo revertitur ad adumbranda illa post reditum tempora, atque orationem v. 9 — 40. acri reprehensione pseudoprophetarum et universi populi concludit. Verba huc spectantia sunt Jer. 23, 1 — 8.

„Vae pastoribus abigentibus 1) et dispergen- 1
„tibus oves pascui mei !" est effatum Jehovae.

---

1) מְאַבְּדִים facientes oberrare, II. ab אָבַד, quod proprie est, erravit, oberravit, ut ex Ezech. 3, 4. Ps. 119, 176. Deut. 6, 5. 32, 18. Jer. 27, 13. liquet, et confirmatur Arabico أبد, quod non tantum est substitit, perennavit, sed etiam pavidum indomitumque fugit animal; alteri notioni verbi Hebraici periit, amissum fuit, respondet idem verbum Aramaeum, et etiam Arab. باد med. Je. Itaque מְאַבְּדִים facientes oberrare, idem est ac abigentes, synonymum mox sequentis מְפִצִים, defective pro

Nam sic ait Jehova Deus Israelitarum ad pasto- 2
res, pascentes populum ejus 2): „vos dispergitis
„oves meas, et dispellitis eas 3), nec requiritis

מְפִיצִים, dispergentes, uti mox sequitur הֲפִצֹתֶם, pro הֲפִיצֹתֶם dispergitis, IV, a פּוּץ dispergi, a quo non longe abest فَاصَ med. Je effugit manum, exivit, prodiit, abiit celerius. Ceterum monitione vix indiget, pastores esse reges, oves autem Hebraeos, ac pascuum esse Palaestinam, ex qua reges perversa gubernatione abigebant incolas.

2) Populum ejus, עַמִּי proprie: populum meum; mutatio personae Hebraeis usitata, in versione autem non ferenda, et hinc emollienda erat. Primum Participium רֹעִים substantive usurpatur pastores, alterum autem, ut ex adjecto Accusativo patet, vicem Verbi subit.

3) תַּדִּיחוּם extruditis, expellitis eos, IV. a נָדַח idem cum דָּחָה דּוּחַ et דָּחַח, uti etiam propinqua sibi sunt, نَدَخَ valide incessit, allisit, appulit navis; نَدَحَ dilatavit, in V dispersae et longe a caulis digressae sunt oves; دَسَّ occuluit, impulit, trusit, ac دحا expandit impulit, trusit, projecit, disjecit.

„eas! Sed ecce, ego animadvertam 4) in vobis
„malitiam operum vestrorum", est effatum Je-
hovae, „et ego ipse congregabo reliquias ovium 3
„mearum ex omnibus regionibus, in quas per-
„misi ipsas dispergi, et reducam eas in pascua
„sua, ubi foetificabunt et multiplicabuntur. Prae-
„ficiam eis pastores, qui pascant eas, ne rursus 4
„timeant, et exterreantur, et non requirantur"
„5), est effatum Jehovae. „Ecce dies venient", est 5
effatum Jehovae, „quibus suscitabo Davidi
„germen justum 6), et regnabit rex,

---

4) Duplicem, alibi expositam notionem verbi פָּקַד in hoc loco obtinere, materia substrata docet.

5) Qui pascant, vel pascent, i. e. gubernabunt eas, seu curam earum gerent, non negligent eas, ut illi, quos reprehenderat. Hi sunt reges Maccabaei seu Hasmonaei, de quibus Jeremias etiam c. 30, 21. loquitur. — יֵחַתּוּ VII a חָתַת fregit; נִחַת VII. fractus, territus, consternatus fuit, a quo non longe abest حتّ diffusus est, defluxit ut folia a ramis, rasit, abrasit; ast Syris contrarium notat, confirmavit, comprobavit. Ceterum verbum hoc loco est praegnans; nam idem valet, ac: ne exterritae diffugiant.

6) צֶמַח צַדִּיק germen justum, genuinum, arbori Davidi simile, nempe sobolem Davidis et simul Davidi similem, cf. supra Ezech. 17, 22 — 23.

„prospere aget 7), et faciet jus et justitiam in
„regione. 8) Diebus ejus salva erit Judaea 9), 6
„et Israel secure habitabit; atque hoc est nomen
„quo vocabitur: Jehova justitia nostra. 10)

---

7) Prospere aget, הִשְׂכִּיל, cf. dicta ad Jes. 52, 13.

8) Recta administratio justitiae (cf. 22, 15. 2 Sam. 8, 15.) est imago felicitatis, ab aetate Davidis desumta, quae explicationem ab eventu exspectabat.

9) Verbum foemininum תִּוָּשַׁע ostendit, non de populo Juda, sed de regione Judaea esse sermonem; contra autem subsequens verbum masculinum: יִשְׁכֹּן, habitabit, indicat, non de regione, sed de Israelitis intelligendum esse. Ceterum quae hoc versu enunciantur, rursus imago sunt ab aetate Davidis depromta, aut, quod magis placet, Propheta in prospectu suo tempora post exsilium non discrevit ab adventu Messiae.

10) יִקְרָאוֹ vocabit eum (vocans), seu vocabunt eum, vel vocabitur. Suffixum referri ad vocem mox praecedentem יִשְׂרָאֵל, adeo clarum est, ut mirandum sit, ab interpretibus multis ad germen illud justum relatum fuisse. Nempe populus Israel tum merito dicere poterit: Jehova est justitia nostra, ubi abstractum pro concreto venit, Jehova est, qui nos justos, i. e., a poena exsilii immunes, reddidit; significatur itaque divina liberatio ex captivitate, et habitatio in patria, quae, ut Jer. 31, 23. legitur, tum dicetur habitatio

„Nam 11) ecce venient dies (tempora)," est effa- 7
tum Jehovae, „quibus non amplius dicent: per
„vitam Jehovae, qui adduxit Israelitas
„ex Aegypto, sed: per vitam Jehovae, 8
„qui deduxit et adduxit progeniem
„Israelis ex regione Aquilonis et ex
„omnibus regionibus, in quas permisi eos
„expelli; et habitabunt in regione sua. 12)"

Argumentum Jer. 23, 1 — 8.

Hoc justum Davidis germen exoriturum, seu hic rex ex stirpe Davidis nasciturus est idem, quem ab Ezechiele c. 17, 23. pleniori allegoria sisti vidimus ut ramum tenerum de alta illa cedro (Davidis familia) a Deo decerpendum, et in alto monte regionis Israelitarum plantandum, qui in magnificentissimam cedrum

---

justitiae, mons sanctus, seu habitaculum a poena liberatum et Deo sacrum. — Syrus, Chaldaeus et Arabs exprimunt יִקְרְאוּ, quod exhibent quoque de Ross. codd. 4, pr. 2, et editt. 7; verum etiam recepta punctatio eundem sensum fundit.

11) לָכֵן vel nam, ut Jes. 26, 14. Ezech. 5, 10. Jer. 23, 3. Job. 34, 25., vel certe, omnino, vertendum est, ut Num. 16, 11. Jer. 5, 2. Job. 20, 2.

12) Mutatio formulae jurandi indicat, tanta fore nova beneficia divina, ut fere abolitura sint memoriam veterum. — Alexandrinus duos versus 7. et 8., omisit, qui occurrunt etiam Jer. 16, 14 et 15., ubi, etsi intrusi videntur, ab Alexandrino sistuntur.

excrescet, et avibus omnis generis umbram et latibulum praebebit, nempe Messias; quare Jeremias ipsum aliis Hebraeorum post exilium regibus, nempe Hasmonaeis, opponit, nec successoris ullius meminit, nec bella ei tribuit. De Messia esse sermonem, agnoscit quoque Paraphrastes Chaldaeus Jonathan et Kimchius. — Justa autem justitiae administratio et secura Hebraeorum in regione habitatio sensu objectivo non est nisi imago, a regno Davidis desumta, qua sistitur felicitas sublimioris generis per Messiam procuranda quae illa aetate verbis propriis exprimi non poterat; vel, si ita placet, designat generatim tempora post exilium, quae Propheta ab adventu Messiae discernere non potuit. — Qui arbitrati sunt, Zerubabelem describi, immemores erant, ipsum Jeremiam mox praecedenti capite 22, 30., et rursus c. 36, 30. praedicere, nec Jojakimo avo, nec Jojachino patri Zerubabelis fore posteros, qui sceptrum obtineant, ut taceamus, Zerubabelem non fuisse regem, nec opponi potuisse regibus Hasmonaeis. De Zidkia autem eo minus cogitari potest, quia de temporibus post exilium sermo est.

Jerem. 30, 4 — 11.

Integrum vaticinium Jer. 30, 1 — 31, 40. agit de reditu ex captivitate Babylonica, unde quipiam concludunt, editum fuisse deportatis jam Hebraeis et eversis Jerosolymis; quia autem Jer. 30, 1. Propheta jubetur, hoc vaticinium literis mandare, alii censent, ante 4tum Jojakimi annum fuisse vulgatum, quia ab hoc anno Jeremias aliunde omnia sua vati-

cinia dictabat Barucho, ut subsequenti demum tempore mandatum illud, ut vaticinium scribat, supervacaneum esset. Lis ad nostram tractationem non pertinet. Verba, quae expendenda veniunt, sunt:

Hi sunt sermones 1), quos locutus est Jehova 4
de Juda et Jsrael. 2) Sic nempe 3) ait Jehova: 5
(dicent 4): vocem trepidationis 5) audimus; tremor est et nulla quies. 6) —

---

1) Sermones, דְּבָרִים, hoc loco sunt promissiones de reditu Hebraeorum ex captivitate, quae sequuntur.

2) אֶל de, ut Jer. 22, 11. 40, 16. Ezech. 10, 3.

3) כִּי postulante serie orationis valet nempe, vel abundat, ut 1 Reg. 1, 13. 1 Sam. 10, 19. Jos. 2, 24. Ruth. 1, 10.

4) Series orationis docet, supplendum esse יֹאמְרוּן dicent, nempe Hebraei orto aliquando bello Medos inter et Chaldaeos, sequentia dicent vel dicere poterunt. Michaelis quidem explicat de bellis Maccabaeorum, de quibus autem nullum indicium occurrit.

5) Vox trepidationis, est vox trepidantium; חָרַד trepidavit, tremuit, Aram. fricavit; حرد intendit, retinuit, iratus fuit; notiones irascendi et contremiscendi connexae sunt, ut in רָגַז contremuit, et Aram. timuit.

6) שָׁלוֹם pax, tremori opposita, est quies.

„Interrogate et videte, an mares par- 6
„turiant; quare video omnes viros im-
„ponere manus lumbis suis 7), et omnes
„facies conversas in flavedinem 8)?" —
„Heus! magnus, qualis nunquam fuit, erit ille 7
„dies 9), et tempus angustiae erit (populo) Jacob;

---

7) זָכָר mas, et גֶּבֶר vir, collective significant. Alluditur ad difficiliores partus, in quibus parturientes, testibus obstetricibus et medicis, tremunt, et manus lumbis inponunt, quo dolores dorsi mitigare se posse sperant.

8) יֵרָקוֹן Alexandrinus vertit ικτερος, morbus regius, quo color cutis vertitur in flavum, album, aut nigrum; voce autem hac flavedinem indicari, patet ex affini יְרַקְרַק, quod Ps. 68, 14. de colore auri usurpatur; atque hinc et morbus segetum יֵרָקוֹן, اُرقان et يَرَقان, denominatur, cf. meam Bibl. Arch. I. Th. I. B. §. 71. S. 331. Facies quidem ex terrore, qui h. l. indicatur, pallescunt, in fusca autem aut fulva Palaestinorum cute pallor in flavedinem vergere videtur. Ceterum notum est, dolores partus Hebraeis tropice venire pro magnis calamitatibus, quae felicem habent exitum, cf. Bibl. Archaeol. meam P. I. T. II. §. 212. S. 355. Sensus itaque est, illas aerumnas, ex bello Medorum contra Chaldaeos orituras, fore quidem magnas, sed laetam Hebraeis sortem allaturas esse, cf. v. 8.

9) Magnus ille dies et tempus angustiae est bellum Medos inter et Chaldaeos.

„verum ex eo liberabitur. Nam die (tempore) 8
„illo", est effatum Jehovae omnipotentis, " con-
„fringam jugum ejus de collo tuo 10), et disrum-
„pam vincula tua 11), ut (Israelitae) non am-
„plius in eo serviant alienigenis 12), sed ser-
„viant Deo suo et David regi suo, quem 9
„suscitabo eis. Tu itaque serve mi (popu- 10
„le) Jacob, ne timeas", est effatum Jehovae,,,
„et ne terrearis (populc) Israel; nam ecce ego
„liberabo te ex longinquo, et progeniem tuam e
„regione captivitatis suae; redibit (populus) Ja-
„cob, ac quietus et tranquillus erit 13), nec

---

10) Confringam jugum ejus de collo tuo, i. e., finiam captivitatem. Suffixum in עֻלּוֹ jugum ejus, spectat ad hostem, nempe ad Chaldaeos.

11) Vincula, quibus nempe jugum collo jumenti jungebatur.

12) עָבַד cum Beth personae praefixo, valet quidem, aliquo uti servo; verum בָּם h. l. non ad populum Hebraeum, sed ad jugum pertinet; quare simpliciter est servire, uti patet ex sequenti mox opposito membro, sed serviant Jehovae etc.

13) שָׁקַט quievit, quietus fuit = سَكَتَ tacuit, et, ut سَكَنَ quievit, sedata fuit ira; nam verba tacendi ad quietem et tranquillitatem transferuntur. Ceterum videtur esse verbum recentioris aevi; nam in Pentateucho non occurrit, et Syris prorsus deest. — שַׁאֲנַן, repetita litera ul-

„erit qui exterreat. Nam praesto tibi ero 14),
„ut te liberem " est effatum Jehovae. „De- 11
,lebo omnes gentes 15), inter quas permisi te dis-
„pergi, te autem non delebo; attamen juste te
„castigabo 16), nec inpunem te relinquam. 17)

---

tima, intendit significationem, a שאן, Syr. II. שַׁיֵּן tranquillum reddidit.

14) אִתְּךָ אֲנִי tecum ego, seu sum, perfrequens phrasis, tutelam et auxilium indicat, uti hic mox additur לְהוֹשִׁיעֶךָ ad liberandum, salvandum te.

15) אֶעֱשֶׂה כָלָה faciam consummationem, i. e, delebo, exstinguam, sicut et alibi saepe praedicitur, Hebraeos nunquam prorsus delendos fore, Jer. 4, 27. 5, 10 — 18. 8, 19. 46, 28. et al. l.

16) לַמִּשְׁפָּט ad jus, seu juste; fortasse innuitur illa strages a Romanis in bello Judaico illata, vel, si id longius petitum videtur, vertendum est: in aequitate, quam Hebraei peculiari voce a justitia non distinguunt, sed per seriem orationis et substratam materiam indicare solent.

17) נַקֵּה לֹא אֲנַקֶּךָּ Chaldaeus Paraphrastes, Kimchius, Raschi, aliique non pauci etiam Christiani recentiores, tam h. l. quam Jer. 46, 28. Neh. 1, 3. et Exod. 14, 18. 34, 7. 18., vertunt: non penitus te delebo, quia id mox praecessit; verum id repugnat notioni verbi נָקָה purus, innocens fuit, unde in II. purum fecit vel declaravit,

Argumentum Jer. 30, 4—11.

Objectum hujus sermonis, ut supra diximus, est reditus Hebraeorum ex captivitate, qui acerrimum illud Medos inter et Chaldaeos bellum consequetur, et huic reversioni in Palaestinam, ut Jer. 23, 5., jungitur alter David, seu Messias, nullus autem ejus character indicatur, nec tempus adventus propius definitur; altum tamen est de successore et etiam de bellis silentium, quae non pauci interpretes recentiores Messiae in vaticiniis constanter tribui clamant.

Jer. 33, 14—26.

Jeremias ultimo ante eversionem Jerosolymorum anno, in praetorio captivus, vaticinatur 33, 1—6., urbem captum et eversum iri, sed 7—13., Hebraeos aliquando reduces eam restauraturos, et rebus pro-

---

a poena liberum et inpunem pronunciavit; ita etiam نَقِيَ et نَقَا medullam exemit, ac نَقِيَ mundando selecta et exquisita fuit res. Dubium omne eximit phrasis similis in forma VII. הִנָּקֵה לֹא תִנָּקֶה nequaquam purus, a poena immunis eris, et: הִנָּקֵה תִנָּקֶה an innocens, a poena immunis eris? Jer. 25, 29. 49, 12. Ceterum duo versus, 10 et 11, desunt in versione Alexandrina; ast Jer. 46, 27 — 28. leguntur, etsi h. l. in textum Hebraicum intrusi fuisse videntur, de quo paulo post plura dicemus.

speris usuros esse. His v. 14—26 subjuncta leguntur sequentia, quae gravibus difficultatibus non solum dogmaticis, sed etiam criticis laborant, de quibus postea agemus. Cum locus sit saltem suspectus, operae pretium erit, in observationibus versioni subjectis notare voces et phrases tum Jeremiae familiares, tum insolitas et rariores, ut genius linguae et stilus, an Jeremiae sit, dijudicari possit.

„Ecce dies veniunt 1)"est effatum Jehovae," 14
„quibus implebo laetam illam promissionem 2),
„quam annunciavi familiae Israel et familiae Ju-
„da. 3) Diebus illis et tempore eo faciam proger- 15

---

1) יָמִים בָּאִים dies venientes (sunt), i. e., venient, phrasis Jeremiae perfamiliaris, ut 7, 32. 9, 24. 16, 14. 19, 6. 23, 5. 7. 31, 27. 31. 38. 48, 12. 49, 2. 51, 47. 52.

2) הַדָּבָר הַטּוֹב sermo bonus, h. l. juxta materiam substratam: laeta promissio, quo sensu phrasis duntaxat Ps. 45, 2. occurrit; articulus certam aliquam, nempe illam promissionem 2 Sam. 7. 1 Paral. 17. innuit; alias haec expressio sermonem jucundum vel amicabilem, ut Prov. 12, 25., vel aliquid boni significat, ut 1 Reg. 14. 13. — הֲקִימֹתִי faciam stare, i. e., implebo, ut Dan. 9, 12. 1 Reg. 6, 12. 1 Sam. 1, 23. 3, 12. Integra haec phrasis alibi in Jeremiae libro non legitur.

3) דִּבַּרְתִּי locutus sum, idem valet ac annunciavi.— בַּיִת domus, uti alias et in ipso etiam Jeremia

„minare Davidi germen justum 4), quod faciet jus
„et justitiam in terra. 5) Diebus illis salva erit 16
„Judaea 6), et Jerusalem habitabitur secure 7),
„atque hoc est nomen, quo vocabunt eam: Je-
„hova justitia nostra. 8) „Nam sic ait Je- 17

---

persaepe venit pro familia, pro posteris, pro progenie.

4) אַצְמִיחַ לְדָוִד צֶמַח צְדָקָה, in simili sententia Jer. 23, 5. pro אַצְמִיחַ germinare faciam, legitur הֲקִימֹתִי faciam surgere, seu excitabo. Phrasis בָּעֵת הַהִיא occurrit etiam Jer. 3, 17. 4, 11. 5, 1. 31, 1.

5) וְעָשָׂה מִשְׁפָּט וּצְדָקָה verbotenus aderat Jer. 23, 5., ubi tamen praecessit: regnabit rex et prospere aget; hic vero pracedit germen, cui tropico termino non accurate respondet dictio propria seu administratio justitiae; hinc in codd. 22, et in 2 codd. in margine, atque a Syro, ab Arabe in codd. Oxoniensi, ac in Tharg. mss. de Rossi 737 ex c. 23, 5. huc translatum legitur וּמָלַךְ מֶלֶךְ וְהִשְׂכִּיל.

6) יְהוּדָה foeminine constructum, ut Jer. 23, 6., regionem indicat Judaeam.

7) תִּשְׁכֹּן intransitive (habitabitur) usurpatur etiam Jer. 46, 26. 50, 39. et Jes. 13, 20. Loco hujus sententiae legitur Jer. 23, 6.: Israel habitabit secure.

8) יִקְרָא לָהּ vocabit (vocans) eam, seu vocabunt eam, nempe Jerusalem, seu vocabitur,

„hova :" non deficiet Davidi vir 9) insidens thro-
„no familiae Israel, et etiam sacerdotibus et Levi- 18
„tis non deerunt offerentes coram me holocausta,
„et adolentes ferta, et sacrificantes victimas omni-
„bus diebus. 10)"

Porro locutus est Jehova ad Jeremiam di- 18
cens 11), sic ait Jeohava „si irritum feceritis foe- 20

---

pro quo Jer. 23, 6.: vocabunt eum, nempe populum Israel, ut nomen: Deus justitia nostra, tribuatur populo, hic vero urbi.

9) לֹא יִכָּרֵת non exscindetur, i. e. non deficiet, idem legitur de familia Davidis 1 Reg. 2, 4. 8. 25. 2 Paral. 6, 16. 7, 18. Haec phrasis etiam Jer. 35, 19. de posteris Jonadab occurit, qui clade per Chaldaeos inferenda, non delendi praedicuntur.

10) עוֹלָה holocaustum, מִנְחָה fertum, et זֶבַח victima, collective usurpantur. — Omnibus diebus, i. e., in perpetuum, phrasis satis frequens, in Jer. quoque occurrit 31, 36. 32, 39. 35, 19.

11) Ita verti possunt verba: וַיְהִי דְבַר ״---אֶל־יִרְמְיָהוּ לֵאמֹר quae formula in Jeremia saepe recurrit, in loco tamen simili Jer. 31, 35. non legitur.

12) תָּפֵרוּ fregeritis, a פָּרַר et פּוּר, ut alibi diximus. Foedus, בְּרִית, hoc loco est lex, qua dies et noctes sese sequuntur: sicut haec lex nunquam fiet irrita: ita etc. Fortasse respici-

„dus meum 12) cum die et nocte, ut jam non sit
„dies et nox suo tempore 13): etiam irritum red- 21
„dam foedus meum cum servo meo David, (ut
„non habeat filium regnantem in throno suo), et
„cum sacerdotibus ministrantibus mihi. Quemad- 22
„modum non potest numerari agmen coelorum,
„nec mensurari arena maris: sic multiplicabo
„posteros servi mei David et Levitas mihi mini-
„strantes. 14)"

---

tur ad illud foedus post diluvium Gen. 9, 9 — 17. Verbum הֵפִיר occurrit quoque Jer. 11, 10. 31, 32. 14, 21.

13) Simile, paulo tamen diversum et cum alia prorsus comparatione legimus Jer. 31, 35 — 36., ubi dicitur, progeniem Israelis perpetuo duraturam, quod Jeremias saepe repetit, ut 4, 27. 5, 10. 18. 8, 19. 30, 11.

14) Si, ut manifestum est, promittuntur beneficia, repugnare videtur tanta posterorum Davidis et Levitarum multitudo, quae, a populo laute alenda, non posset non esse valde onerosa. Paradoxa hujus generis sententia est comminationi similior quam promissioni, et nec in Jeremia, neque in aliis libris ullibi legitur. Praeterea advertendum est, hunc versum 22 non satis apte cohaerere cum v. 21.; nam ut nunquam desint sacerdotes, Levitae, et reges ex stirpe Davidica, non est opus tanta et tam onerosa multitudine posterorum.

Rursus locutus est Jehova ad Jeremiam di- 23
cendo: „nonne vides (audis), quid populus 24
„iste dicat 15)? Jehova rejecit has duas
„familias 16), quas elegerat. Ita populum
„meum contemnit, qui coram ipsis jam non est
„populus. „Sic autem ait Jehova:" si foedus me- 25
„um cum die et nocte non amplius fuerit, (si)
„statuta (leges) coeli et terrae non amplius posu-
„ero 17): etiam progeniem Jacobi et servi mei 26
„Davidis rejiciam, ut non sumam ex progenie ejus

---

15) Populus iste, non Hebraicus, qui ipse se non adeo contemnebat; spem enim habebat felicioris aliquando rediturae sortis. Alius intelligendus est populus, qui mox populo Dei opponitur, non autem, ut putavit Schnurrerus, populus Aegyptiacus, qui Hebraeos, posthac in Aegyptum profugos, contemserit, ut hoc vaticinium sit fragmentum a Jeremia in Aegypto demum editum; quid enim opus est, populum contemnentem tam longe quaerere, qui ante moenia erat, nempe exercitus Chaldaeorum?

16) שְׁנֵי מִשְׁפָּחוֹת duae familiae sunt regnum Juda et regnum Israel, ut Jes. 8, 14.

17) In loco simili Jer. 31, 36. ut supra not. 13. observavimus, eadem quidem conditio ponitur, sed dicitur, progeniem Jacobi nunquam defecturam. Promissio plurium post exsilium Davidis successorum alibi non deprehenditur, etsi reges alii

„18) imperantes posteritati Abrahami, Isaaci, et „Jacobi; nam reducam captivos, et ipsorum mi-„serebor.

Argumentum Jer. 33, 14—26.

Quae in tribus versibus Jer. 33, 14 — 16 leguntur, fere verbotenus conveniunt cum Jer. 23, 5 — 6, supra explicatis. Duo versus Jer. 33, 20. et 25. similes sunt illis, qui habentur Jer. 31, 35. 36., ubi, sicut aliis locis, perpetua conservatio posterorum Jacobi asseritur, nostro autem loco perpetua successio posterorum Davidis, sacerdotum et Levitarum asseveratur, quae alias nullibi praedicitur. Quae v. 22. interseritur immensa multiplicatio posterorum Davidis et Levitarum, a populo laute alenda, ideoque onerosa, et comminationi similior quam promissioni, nihil simile habet in Jeremia et in aliis Prophetis. Vaticinium hoc nec hucusque opere completum fuit, nec futuris temporibus compleri unquam potest, quia posteri Davidis et Levitarum, etsi Aharonidae ex sententia Judaeorum fortasse dignosci possint, discerni jam nequeunt, et prosapia Davidis dubio procul ante multa jam secula emortua est.

---

promittuntur, scilicet Hasmonaei. Vaticinium itaque anologiae vaticiniorum repugnat.

18) Ex progenie seu semine ejus, מִזַּרְעוֹ, nempe Davidis; artificiosum est, suffixum referre ad Jacobum, quod tentavit Dathius.

Qui posteros Davidis de regibus Christianis, qui fuerunt, sunt et erunt Davidi similes, et posteros Levitarum de ministris ecclesiae Christianae explicant, non observant, Levitis his et sacerdotibus, disertis verbis tribui ministerium holocaustorum, fertorum, et victimarum Mosaicarum, quae ministris Christianae ecclesiae non conveniunt; atque pios reges Christianos dici posteros seu semen Davidis, nimis abnorme est, praeterquam quod v. 21 successio in throno Davidis promittitur. — Spohn in Jeremia e versione Judaeor. Alexandrinor. 1794. Praef. p. 12—14, censet, verba haec non esse ad vivum resecanda, quibus non sistatur nisi imago temporum felicium, qualia sub Davide erant, et integram hanc pericopam redire ad hanc summam, Hebraeos, ex captivitate reduces, restituturos esse Jerusalem et templum, in quo rursus ministrabunt sacerdotes et Levitae, neque defuturos reges Davidi similes; reliqua autem, quae adjecta sunt, non esse nisi exaggerationes poëticas, quae premendae non sint. Plausibilis expositio, cui acquiescere possemus, si modo Jeremias unquam, ut Jesaias et Ezechiel, et quipiam alii Prophetae, hujus generis imagines expingeret; verum quaerenti mihi per integrum Jeremiae volumen nihil simile se obtulit. — Qui perditum in eo quaerunt praesidium, Prophetas vaticinatos fuisse plura, quibus eventus non respondit, et his accensendum esse comma nostrum, nodum secant, non solvunt.

Examen criticum Jer. 33, 14—26.

An vaticinium hoc sit genuinum et incorruptum Jeremiae eloquium, non solum argumentum, cui, ut mox diximus, nihil simile in Bibliis deprehenditur, sed interpres quoque Alexandrinus dubium movet non contemnendum, quia totum hunc locum omittit, quem demum Origenes adjecit; unde concludere pronum est, in codice Hebraico interpretis Alexandrini non exstitisse. Quia autem hic interpres plura alia, breviora et longiora commata hujus libri, non exhibet, et etiam vaticinia contra gentes Jer. 46 — 51 alio ordine subjungit capiti 25, oritur quaestio latius patens, unde haec omnis versionis Alexandrinae discrepantia a textu Hebraico, descendat: an loca illa ab interprete ex oscitantia, vel consulto omissa fuerint, aut reapse in ejus codice Hebraico non exstiterint, vel etiam a librariis minus sedulis praetermissa fuerint, et an genuina, vel spuria sint.

Michaelis et Eichhorn quidem consentiunt, Jeremiam curasse duas vaticiniorum suorum editiones; dissentiunt autem in eo, quae sit purior et melior. Michaelis illam editionem, ex qua fluxit versio Alexandrina, genuinam, et ab intrusis scholiis puram esse censet, nostrum vero textum Hebraicum depravatum fuisse scholiis arbitratur, quibus deputat locum nostrum Jer. 33, 14—26. Eichhorn e contrario textum nostrum Hebraicum arbitratur esse editionem secundam pleniorem, quam Jeremias exsulibus in Babylonia Hebraeis exaraverit; versionem autem Alexandrinam manasse ex editioue prima et minus plena. Ab utroque jure

merito recedit Spohn in Jeremia e vers. Judaeor. Alex. Praef.p.1 - 12.; duplicem enim editionem negat,quae profecto, quia Jeremias non fuit amans scribendi, nec vaticinia sua literis mandavit, et cum a Deo jussus esset, eloquia sua scribere, non ipse scripsit, sed notario utebatur, verisimilis non est; vero autem prorsus dissimile esse videbimus, quod Spohn addit, interpretem Alexandrinum habuisse nostrum textum Hebraicum cum omnibus illis partibus in versione Alexandrina omissis; contendit enim, interpretem loca, quae bis occurrunt, ne bis vertenda essent, consulto omisisse, quorum numerum ad 6 vel 7 redigit; alia autem 18 vel 19 repetita loca ideo non praetermisisse, quia vel paucis verbis absolvuntur, vel adeo longe a se invicem distant, ut interpres repetitionem non observaverit. Laborat tamen ipse Spohn c. l. p. 6. in commate Jer. 49, 19—21., quod mox 50, 44 — 46. recurrit, et neutro loco in versione Alexandrina omissum est. Quae Eichhorn in der allgem. Biblioth. der bibl. Literat. VI. Th. S. 344—348., huic conjecturae opposuit, parum ponderis habere mihi videntur; diligentius autem examinata hac caussa deprehendi, longe graviora, quae hypothesesEichhornii,Michaelis et Spohnii penitus subruunt, et simul evincunt, nostrum comma Jer. 33, 14— 26. spurium, aut corruptum, aut saltem admodum suspectum esse.

Repetita saepius attenta lectione totius libri Jeremiae offendi commata bis occurrentia, non ut Spohnius dicit, 26, sed 42 vel 57, prout nempe fusiora sola, vel etiam breviora numerare lubet; ex his alter-

utro loco omissa sunt in versione Alexandrina 6 aut 7 sequentia, nec plura Spohnius invenit:

In vers. Alex. omissa,		leguntur
8, 10—12.	————	6, 13—15.
17, 3—4.	————	15, 13—14.
*30, 10—11.	————	46, 27—28.
33, 14—26.	————	23, 5—6. 31, 25—26.
*39, 4—13.	————	52, 10—16.
*48, 40—41.	————	49, 22.

Spohnius addit comma Jer. 23, 7—8 omissum, quia etiam 16, 14—15. occurrit, fatetur tamen, fini capitis 23 subnexum esse.

Mirum profecto est, virum perspicacem non animadvertisse, interpretem non potuisse in prioribus omittere, quae demum in subsequentibus, longiori etiam intervallo distantibus, recursura erant, qualia sunt loca 30, 10—11. 39, 4—13. 48, 40—41. a nobis supra asterisco notata. Dein ex nostro commate 33, 14—26. duntaxat versus tres 14—16. praecesserant 23, 5—6.; et v. 25—26 tantum aliqua ratione similes sunt 31, 25—26., ac intermedii versus 17—24 nullibi repetiti leguntur, ut ob repetitionem omitti non potuerint. Denique c. 17. non tantum, ut Spohnius refert, v. 3 et 4., sed etiam v. 1. et 2. in versione Alexandrina omissi sunt, qui nec 15, 13—14., nec alibi repetiti leguntur, ideoque ob repetitionem omitti non poterant. Verum propius ad rem ipsam accedamus, et observabimus facili negotio, non tantum aliqua horum locorum, quae alibi repetuntur, sed etiam alia plura non con-

sulto, sed per oscitantiam ob similiter desinentia praetermissa fuisse. Ita

I. Comma 39, 4—13. nequaquam ob repetitionem 52, 10—16, sed ob similiter desinens ab interprete vel a librario Hebraeo omissum fuit; nam v. 3. aeque ac 13. terminatur verbis מֶלֶךְ בָּבֶל, ob quod idem similiter desinens etiam 27, 12—14. omissus est v. 13., atque ob aliud affine similiter desinens בָּבֶלָה, c. 29, v. 16—20. desideratur.

II. C. 27, 18—21. plura occurrunt similiter desinentia, quae omissionibus diversis occasionem praebuerunt, ut ex quolibet versu aliqua tantum verba remanserint, quae adeo male cohaerent, ut hi errores ab interprete committi non potuerint, sed culpam librariorum Graecorum intercessisse, dubitandum non sit, prout cuilibet locum legenti et conferenti cum textu Hebraico patebit.

III. Ita etiam a librario aliquo **G r a e c o** omissus est v. 27. c. 7., quia et v. 27. et 28. incipiebat *και ερεις*, ubi in Hebr. v. 27. legitur וְדִבַּרְתָּ, et v. 28. וְאָמַרְתָּ

IV. Ast c. 25. rursus ab ipso **i n t e r p r e t e** vel librario **H e b r a e o** praetermissus est v. 14, qui, ut v. 15, inchoat a כִּי

V. Omissio **i n t e r p r e t i s** vel librarii Hebraei ob similiter desinens oculos ferit etiam c. 30, 14—15.; nam v. 14. terminatur verbis, quae leguntur etiam v. 15: עַל רֹב עֲוֹנֵךְ עָצְמוּ חַטֹּאתָיִךְ

VI. Ita etiam penultimum membrum versus 28. c.

38. omissum est, quia et hoc et ultimum membrum terminatur verbis נִלְכְּדָה יְרוּשָׁלָ‍ִם

VII. C. 48 desunt v. 45—47, quia et v. 44. et 47. terminatur in " נְאֻם

VIII. Denique c. 52. desideratur v. 15., omissus ob similiter desinens v. 14. et 15. רַב טַבָּחִים

Ex his observationibus liquet, plures omissiones versionis Alexandrinae, nec ex duplici editione, nec ex deliberato consilio interpretis ob repetitionem locorum, sed ab oscitantia interpretis, vel librariorum Hebraicorum vel Graecorum descendere, prout in Introduct. (Germ.) in LL. SS. V. F. P. II. §. 137. diximus. Atque his viam nobis stravimus ad quaestionem, an etiam omnes aliae omissiones ex his iisdem fontibus repetendae sint. Id vero dissimile esse, aequus rerum judex facile dabit; nam cogitari vix potest, interpretem aut librarios Hebraicos et Graecos in hoc uno libro adeo fuisse negligentes, ut tot loca omitterent, in quibus nullum similiter desinens, uti nec in nostro commate Jer. 33, 14—26., observatur. Reapse alium praeterea omissionum fontem aperit attentior consideratio nonnullorum locorum, quae partim ab Alexandrino omissa, partim quidem traducta sunt, sed manifestam produnt interpolationem, uti nunc ostendemus.

I. Jer. 9, 1—25. et 10, 17—24. scelera exprobrantur Judaeis, et praedicitur excidium urbis et exsilium civium; intermedio autem commate 10, 1 — 16. decem tribus regni Jsrael, tum jam fere 150 annos in exsilio Assyriaco degentes, monentur de vanitate idolorum,

quod sermonem incommode interrumpit, et prorsus nihil ad regnum Juda, de quo in praecedentibus et sequentibus agitur, pertincbat. Accedit, hanc monitionem interrumpi v. 11 Chaldaico, qui etsi ad rem non facit, in versione Alexandrina exhibetur, sed omittitur v. 6—8. et 10., unde paulo aptior exsurgit sermonis nexus. Nec praetermittendum est, Jer. 10, 13 — 16. etiam apto loco 51, 15 — 19., tum in textu Hebraico, tum in versione Alexandrina legi. Videtur profecto totum hoc comma c. 10, 1—16. ex margine irrepsisse, et in codice interpretis Alexandrini nondum integrum exstitisse.

II. Querelae Jeremiae 15, 10—11. interrumpuntur v. 12—13 sermone ad regnum Juda, ac v. 14. sermone ad Jeremiam, et demum v. 15. continuantur. An non illi tres versus 12—14 loco incommodo ab aliena manu inserti sunt? Alexandrinus eos quidem hoc quamvis incommodo loco vertit, sed c. 17, 3—4., ubi apto nexu cum antecedentibus et consequentibus, recurrunt, omittit, quod profecto non ex deliberato consilio descendit. Hinc tuto colligere licet, hos versus in diversis codicibus jam hoc, jam illo, jam utroque loco, primum in margine notatos, et dein textui illatos fuisse, atque Alexandrinum interpretem nactum esse codicem, in quo 15, 12 — 14. deerant, et 17, 3 — 4. aderant.

III. Ita etiam vaticinium de eversione Jerusalem et de deportatione civium 16, 1—21. interruptum est v. 14—15. per promissionem laetissimorum temporum post reditum. Interpres Alexandrinus hos versus qui-

dem incommodo hoc loco exhibet, sed ipsos omittit 33. 7—8., ubi loco apto recurrunt, ut deliberato consilio ibi vertisse et hic omisisse censeri non possit. Hinc rursus colligi potest idipsum, quod in fine praecedentis numeri II. observatum fuit.

IV. Inscriptio capitis 27, v. 1. dicit, vaticinium editum esse initio regni Jojakimi, quod repugnat versui 3. 12. et 20., ubi ter repetitur, vulgatum fuisse sub Zidkia. Manifestum igitur est, hanc inscriptionem, quam Alexandrinus non exprimit, ex 26, 1. inepte huc translatam esse.

V. Ita etiam inscriptio generalis vaticiniorum contra gentes 46, 1. in versione Alexandrina nec c. 25, nec c. 26. legitur, ut dubio procul adjecta sit ab illo, qui his vaticiniis contra gentes, ultimum libri locum assignavit.

VI. Ultimi duo versus 27—28 capitis 46, Hebraeis securitatem promittentes, prorsus non pertinent ad Nebucadnezaris expeditionem contra Aegyptum, de qua in praecedentibus v. 13—26. sermo est; in versione Alexandrina quidem hoc incommodo loco leguntur, sed desiderantur 30, 10—11., ubi in textu Hebraico locum aptum occupant, ut interpres eos consilio deliberato non omiserit, nec potuerit ob repetitionem omittere, quia c. 30, 10—11. nondum noverat, hos versus, capite adeo distante 46, 27—28. rursus recursuros esse, unde liquet, reapse in codice ipsius non exstitisse. *

*) Schnurrero suspecta quoque fuit narratio de Propheta Uria, ex fuga retracto et interfecto, Jer. 26, 20—24., quae

Ex his, opinor, liquet, non omnes versionis Alexandrinae omissiones ex uno eodemque fonte promanasse, ut censent Michaelis, Eichhorn et Spohn; sed alias similiter desinentibus et negligentiae interpretis vel librariorum Hebraeorum et Graecorum deberi, prout supra vidimus; alias autem, ut modo exemplis comprobavimus, ex eo descendere, quod interpres in suo codice Hebraico haec commata reapse non reperit; nam si deliberato consilio omisisset, nequaquam locis, quibus apte congruunt, neglexisset, et locis incongruis vertisset. Cum e contrario locis congruis omittat, et incongruis exhibeat: aliud concludi nequit, nisi commata haec locis congruis abfuisse, ubi, si adfuissent, nec ulla erat ratio omittendi, nec toties ex oscitantia omissa fuissent. Hinc consequitur,

---

ex margine inserta fuerit, ut patefieret, quanto in discrimine versatus sit Jeremias c. 26, 1—23. Ast Alexandrinus eam exhibet. — Merito autem in quaestionem vocatur v. 13. capitis 25, quo dicitur, omnia opere complenda esse, quae in hoc libro contra Babylonem scripta sunt, quae tamen demum c. 50—51. scripta fuerunt, nec a Jeremia tempore illo c. 25. quidquam literis mandatum erat; nam Propheta primum c. 30, 1. et 36, 1. jubetur vaticinia sua conscribere. Versio autem Alexandrina versum hunc 25, 13. sistit, sed omittit sequentem v. 14. — Suspectum videri quoque potest comma 39, 1—2.; nam versus ultimus capitis praecedentis 38, arcte cohaeret cum 39, 3. Contra vero Jer. 40, 7—9. fere verbotenus usurpavit auctor libri 2 Reg. 25, 23—24., uti etiam Jer. 40, 1—3. in compendium contraxit 2 Reg. 25, 25.; usus nempe est libro Jeremiae, quia ex his ultimis temporibus annales historici, ex quibus hauriret, non aderant.

voluminibus Jeremiae quaepiam jam commodo, jam incommodo loco illata fuisse, et librarios utroque loco bona fide descripsisse, quae repericbant. Interpres autem Alexandrinus utebatur codice, in quo inserta hujus generis segmenta locis quidem incommodis, nondum autem locis commodis, aut etiam prorsus nullo loco legebantur. — Nec longe quaerenda est via, qua additamenta haec in textum Hebraicum irrepere potuerint. Notum enim est, Jeremiam primis 23 annis muneris sui (ab anno 13 Josiae usque ad 4 annum Jojakimi Jer. 25, 1 — 3. 36, 1 — 2. 27 — 31.) duntaxat oretenus vaticinatum esse, nec quidquam scripsisse, donec anno 4 Jojakimi a Deo jussus esset vaticinia sua literis mandare. Prophetam oretenus perorantem non paucos nactum esse auditores cultos et illustres, atque horum plures dicta ejus probavisse, vel ex eo adparet, quod multi, vaticiniis Jeremiae fidem adhibentes, ad Chaldaeos defecerunt, a quibus illudi timebat rex Zidkias, si se Chaldaeis dederet, Jer. 38, 9. Illustrium transfugarum eximium exemplum praebet Gedalias, demum a Chaldaeis provinciae praefectus, cujus pater Achikam, filius Schaphan, erat vir tantae auctoritatis, ut Jeremiam ab extremo supplicio cripere potuerit, qui itaque et ipse sicut filius ejus, vaticiniis Jeremiae minime diffidebat, Jer. 26, 1 — 24. — Illi etiam aulici, qui Jeremiam et notarium ejus Baruchum, irae regis subtraxerunt, et librum ejus igni eripere adnisi sunt, Jer. 36, 19. 25., ipsius vaticinia profecto nequaquam spreverunt. His accedit Ebedmelech,

eunuchus regis, vir insignis, Jeremiae amicus, Jer. 38, 7 — 13. Ipse denique rex Zidkias bis Jeremiam secreto consuluit, Jer. 37, 16 — 24. et 38, 14 — 28. Illi viri, et dubio procul plures alii his similes, Jeremiam attente auscultabant, et quae audiebant, memoriae, et quaepiam etiam literis mandabant, ac demum obtento libro Jeremiae aliqua notata sua jam commodo, jam incommodo loco inferebant, quaepiam fortasse, fallente memoria, mutabant; hinc descendunt illa supra allata, alienis locis obtrusa segmenta, quae quia nonnisi longiori temporis intervallo in omnes codices immigrarunt, in codice interpretis Alexandrini nondum omnia aderant.

Atque his additamentis accensendum esse arbitror nostrum comma Jer. 33, 14 — 26., quod Alexandrinus interpres in suo codice nondum legebat. Reliqua quidem, supra recensita inserta, possunt esse genuina Jeremiae verba, ab ipso, ut leguntur, saltem quantum ad sensum spectat, oretenus prolata; nostrum autem comma fallente memoria depravatum fuisse videtur; nam argumentum repugnat omnibus Jeremiae et omnium aliorum Prophetarum vaticiniis, quae omnia in unico post exsilium venturo Davide subsistunt, nec ullum ejusdem successorem, multo minus tantam posterorum Davidis et Levitarum multitudinem memorant, quae sub specie beneficii promittitur, reapse autem populo, cujus sumtibus laute alenda fuisset, gravissimam creasset molestiam. Nec omittendum est, promissionem, posteros Davidis, sibi successuros in perpetuum reges, consolari moe-

stos Judaeos non potuisse; nam recens docebat experientia, eos perdere rempublicam, nisi Davidi similes sint, quod de omnibus successoribus sperare, eadem recens experientia prohibebat. Undequaque igitur hoc segmentum est suspectum, et, quod alias in argumentum interpolationis trahitur, si hos versus omnes omiseris, nihil deesse observabis, sed sermonem v. 13 apte finiri advertes. *)

„Ast stilus hujus commatis, fatentibus omnibus „criticis, est Jeremiae; verba et phrases fere omnes „sunt Jeremiae usitatae, et ipsa quoque verba rariora, „ut מֹשֵׁל 33, 21., ac מֹשְׁלִים 33, 26., occurrunt quo„que Jer. 22, 11. 51, 46." — Genus loquendi quidem,

*) Si quipiam hac sententia fortasse commoventur, quod eam decreto concilii Tridentini sess. IV. repugnare opinantur, meminerint, comma hoc etiam defuisse in versione Alexandrina, et demum ab Origene cum asterisco adjectum esse, quam versionem concilium Tridentinum minime reprobavit, nec reprobare potuit, quippe Graecis Catholicis usitatam. Qui huic observationi acquiescere detrectat, legat, quae Sixtus Senensis in sua Sanct. Biblioth. p. 44. scripsit, et nihilominus Benedictus XIV. dedicationem libri, ab editore Milante 1724 oblati, benevole acceptavit. Conf. meam Germ. Introd. in LL. SS. V. F. P. II. §. 235. p. 889 — 890. Hinc apparet, memoratum concilii Tridentini decretum nequaquam esse tam strictae interpretationis, et minime pertinere, ut Sixtus Senensis ait, ad pannosa hujus generis additamenta. Ceterum occlamo cuilibet: „si quid novisti rectius istis, candidus „imperti — Et cum Cicerone profiteor: Cu„pio refelli, quid enim laboro, nisi ut veri„tas in omni quaestione explicetur?"

non diffiteor, simile est stilo Jeremiae, sed vix alia ratione, quam ea, qua liber consolationis inter opera Ciceronis, phrasibus et verbis Ciceronianis consarcinatus est, et nihilominus exercitatus Ciceronis lector stili et sententiarum differentiam sine negotio observat. Versus duos aut tres 33, 14 — 16. ex 23, 5 — 6. mutuatos, atque versus 33, 17 — 26. imitando 31, 35 — 37. compilatos esse, nemo non animadvertit, et hinc stilo multum differre non possunt, atque argumentum aliis Jeremiae de Messiae vaticiniis repugnare, supra annotavimus.

Jesaias.

Duo de feliciori futura aetate loca Jesaiae 9, 1 — 6. et 11, 1 — 10., similia quidem videntur; promittunt enim verbis non multum dissimilibus regem prorsus singularem, et vaticiniis de clade Sancheribi subjuncta sunt; verum nexus est alius, et vis expressionum in utroque loco non videtur esse eadem. Vaticinium posterius 11, 1 — 10. satis clare Messiam pollicetur; quare hoc praemittimus.

Jes. 11, 1 — 10.

Ramus ex stirpe Jsai succrescet 1), 1

1) חֹטֶר, duntaxat Prov. 14, 3. recurrit, Aram. חוטרא baculus = حِطْر hasta; h. l. postulante substrata materia et parallelismo sequentis membri: ramus. — גֶּזַע stirps, seu truncus arboris succisae in terra relictus, ut Jes. 40, 24. Job. 14, 8.; concinit Thalm. et Syr. גווזעא Radix Hebr. et Syr.

Surculus ex radicibus ejus progerminabit. 2)
Super ipsum requiescet spiritus Jehovae 3), 2
Spiritus sapientiae et intelligentiae 4),

---

deest, sed Arabes offerunt جزع secuit, resecuit, cui affine est جدع manu, naso, aure, labio mutilavit, amputavit, atque Hebr. גָּדַע non tantum fregit, sed etiam cecidit arborem, Jes. 9, 10. — יָצָא exivit, de ramo dictum: succrevit; verum in futuro vertendum esse, quilibet facile videt.

2) Membrum hoc praecedenti synonymum est: חֹטֶר hic dicitur נֵצֶר surculus, a نضر viruit, enituit; et pro גֶּזַע hic legimus שָׁרָשָׁיו radices ejus, stirpis Jsai. — יִפְרֶה a פָּרָה fructuosus fuit, et progerminavit, ut Jes. 32, 12. 45, 8. Sublatis tropis sensus est: ex humiliata familia Davidis prodibit rex. Pro surculo Chaldaeus מְשִׁיחָא sublato tropo posuit.

3) „ רוּחַ ventus vehemens, vis divina seu insignis, et saepissime spiritus propheticus, qui in mox sequentibus latius describitur. Requiescet, נָחָה (a נוּחַ), i. e., non recedet ab eo, seu semper hoc spiritu animatus erit.

4) חָכְמָה sapientia, quae rectam vivendi rationem docet, ut patet ex phrasi: initium sapientiae timor Jehovae. — בִּינָה intelligentia, seu

Spiritus consilii et fortitudinis 5),
Spiritus cognitionis et timoris Jehovae 6),
Et delectatio ejus erit timor Jehovae. 7) 3

---

judicium, quod subtiliter discernit rectum, et ut fons illius sapientiae spectari potest.

5) עֵצָה consilium, singularem futurorum perspicaciam, vel spiritum propheticum indicat, a יָעַץ = وَعَظَ monuit pecul. referens quid futurum esset ad praemium vel poenam pertinens; Hebr. consuluit. — גְּבוּרָה in hac orationis serie est ea fortitudo, qua, quod sapienti consilio seu futurorum perspicacitate decretum fuit, magno animo perficitur. De fortitudine bellica ob sequentem pacis descriptionem intelligi nequit.

6) דַּעַת וְיִרְאַת יי cognitio et timor Jehovae est religio, et quidem cognitio vel agnitio Jehovae objective, ac timor seu reverentia Jehovae subjective; itaque indicatur animus Deum agnoscens, eique addictus atque Deum reverens, ejusque mandatis obsequens. Cf. Jes. 28, 9. Job. 28, 28. 36, 4. 37, 16. Ps. 73, 11. 111, 10. Prov. 1, 7. 9, 10. 15, 33. 16, 5. 31, 30.

7) הֲרִיחוֹ, verbum vexatum, a ריח Syr. = رَاحَ med. Vau odoravit, cui affine est Hebr. רוּחַ halitus, ventus, quo odores advehuntur, IV. הֵרִיחַ olfecit; cum Beth, ut h. l., constructum, grate olfecit, odore oblectatus est, et simplici-

Non ex conspectu oculorum suorum judicabit 8),
Nec ex auditu aurium suarum decernet 9);
Sed juste judicabit tenues 10), 4

---

ter oblectavit se. Alii, coll. IV. أَرَاحَ spiravit, vertunt sensu parum mutato: spirare ejus, seu respiratio ejus. — His omnibus describitur insigne donum propheticum, junctum singulari religiositati, sanctitati, fortitudini animi et constantiae.

8) לְמַרְאֵה עֵינָיו juxta conspectum vel speciem oculorum suorum, seu oculis oblatam, i. e., non respiciet divites et potentes, nec pauperes et miseros; verbo: sine omni partium studio judicabit.

9) Inaccessibilis quoque erit falsis persuasionibus, commendationibus, adulationibus, omnibusque illis suggestionibus, quibus illudi solet judicibus. יוֹכִיחַ h. l. synonymum est יִשְׁפֹּט, decernet, judicabit; alias הוֹכִיחַ est litigavit, arguit, castigavit, punivit, IV. ab inusitato יכח وَكَحَ valide conculcavit.

10) בְּצֶדֶק in justitia, i. e., juste. — דַּלִּים tenues, exhausti, pauperes, a דָּלַל exhaustus, debilis fuit.

11) בְּמִישׁוֹר in rectitudine, i. e., recte. — עַנְוֵי אֶרֶץ mansueti terrae, qui in priori mem-

Et recte jus dicet mansuetis terrae. 11)
Terram autem feriet baculo oris sui 12),
Et sceleratos interficiet halitu labiorum suorum.
Justitia erit cingulum lumborum ejus, 5

---

bro tenues dicti fuerunt; nam tenues et pauperes plerumque simul mansueti sunt; per additamentum terrae opponuntur divitibus et proceribus, uti populus terrae saepe est plebs, cf. dicta ad Zach. 9, 9.

12) שֵׁבֶט פִּיו baculus oris ejus, i. q. sequenti membro רוּחַ פִּיו halitus oris ejus, nempe sententia judicis condemnantis. Scite observat Rosenmüllerus, etiam عَصًا, baculus, in Lexico Camus exponi أَدْبٌ castigatio, et لِسَانٌ, lingua; unde apparet, linguam baculo comparari. Alexandrinus sublato tropo recte vertit τῷ λογῷ, uti etiam Chaldaeus בְּמֵימְרָא verbo, qui pro sequenti quoque halitu substituit eloquium. — Terra h. l. tropice significat incolas regionis poena dignos, quibus sequenti membro respondent scelerati; nam רָשָׁע collectivum esse liquet. Chaldaeus enim ineptit, qui intelligit Armillum, fictum immanem et ultimum Judaeorum hostem, a Messia interficiendum, de quo cf. Eisenmenger Entdecktes Judenthum II. 705 — 715. et Buxtorfii Lex. Chald. Thalmud. Rabb. col. 221 — 224.

Et clementia cingulum femorum ejus. 13)
Tunc commorabuntur lupi cum agnis 14), 6
Et pardi cum hacdis recumbent.
Vituli, catuli leonum et pecora saginata erunt
simul,
Et puer parvus ducet ea.
Vaccae cum ursis pascent, 7
Pulli earum una cubabunt.
Leones sicut boves, stramen vorabunt.
Lactentes se ad foramina aspidum oblectabunt, 8

---

13) אֱמוּנָה proprie est firmitas, ut ex Exod. 17, 12. liquet; hinc veritas, ac dein sinceritas, fides, seu fidelitas in promissis, quam nostro more de Deo loquentes dicimus clementiam, conf. Ps. 88, 12. 25. 89, 3. 92, 3.; fortasse aptissima vox ad id omne exprimendum esset constantia, cf. Ps. 119, 92. — Cingulum orientales nunquam deponunt et singulari ornatui deputant. Sensus itaque est: in omnibus ejus actionibus resplendebit justitia et clementia.

14) Nomina et Verba singularia, quae abhinc sequuntur, collective intelligenda sunt.

15) פֶּתֶן esse aspidem, docuit Bochartus Hicroz. P. II. L. III. c. 5. T. III., 161 — 176 ed. Rosenmüll., et ita vertunt Alexandrinus, Symmachus, Syrus et Vulgatus, ac alibi etiam Theodotio. Aspis est serpens vix ultra pedem longus, sed crassitie fere brachii humani, et instructus veneno, quod mor-

Et ablactati 16) manus suas ad luminaria basiliscorum extendent. 17)

---

tem, per modum somni, intra 24 horas accelerat. Aspis Ps. 58, 5. dicitur non audire vocem incantatorum, et nomen surdi gerit adhucdum in insula Cypro, ut refert Mariti Reis. von Jerus. durch Syrien II. S. 160. Haselquist Reis. S. 239. et Pococke Beschr. des Morgenl. II. §. 402.

16) גָּמוּל ablactatus, a גָּמַל, quod non solum est retribuit bonum vel malum, sed etiam ablactavit, ut Jes. 28, 9. Gen. 21, 8. 1 Sam. 1, 22. 24. 1 Reg. 11, 20. Dialecti Verbum cum his notionibus non habent.

17) מְאוּרָה, pro מְעוּרָה antrum, caverna, positum esse, colligunt aliqui ex foraminibus membri praecedentis paralleli; verum parallelismus non semper adeo stricte synonymus est, et etymologia penitus repugnat ac poscit luminaria, nempe oculos, qui apte congruunt. Nam basiliscus, quem nomine צֶפַע et צִפְעֹנִי indicari, docuit Bochartus Hieroz. P. II. L. III. C. 10 — 11. T. III. p. 182 — 193. ed. Rosenm., serpens quidem est parvus, vix spithamam longus, sed veneno plenus putatur, ut solo flatu alios longe majores serpentes enecet; versus hujus luminaria extendere manum vix quisquam audebit. Michaelis in Suppl. ad Lex. H. p. 2129 — 2131. censuit, tentacula hujus serpentis dici luminaria, quia, in arena latens, ea movet,

Non nocebunt, neque laedent in universo monte 9
mihi sacro 18),
Quia terra ita impleta erit cognitione Jehovae 19),
sicut aqua contegit mare.

---

et ita allicit aves; adeoque usum oculorum supplere videbantur viro doctissimo; verum id a longe petitum et artificiosum esse, quilibet videt. Ceterum serpens hic dicitur basiliscus, regulus, et etiam cerastes, a tentaculis, quae jam coronae, jam cornibus similiora visa sunt. — Verbum הָדָה ἅπαξλ., Arab. et Aram. duxit.

18) הַר קָדְשִׁי mons sanctitatis meae, i. e., mihi sacer et consecratus, Zion, vel potius regio montosa Palaestinae, quia membro sequenti commemoratur terra seu regio.

19) „ דֵּעָה אֶת cognoscere Jehovam, seu cognitio Jehovae, quae juncta est studio se ei probandi; nam יָדַע scivit, cognovit, etiam est curavit, Gen. 39, 6. Prov. 27, 23. Ps. 144, 3. 36, 11. 9, 11. Hos. 2, 8. Infinitivus pro Substantivo usurpatus est, ut Gen. 19, 16. Num. 20, 2. Deut. 1, 27. 10, 11. Hos. 3, 2. Sensus est: terra repleta erit colentibus Deum, et ideo ferae et serpentes neminem laedent. Hinc liquet, praecedentem descriptionem aetatis aureae esse tropicam, et non amplius indicare, quam gentes hostiles cum cultoribus veri Dei in unam religionis societatem congressuras esse, ut sequenti mox versu clarius dicitur.

Tempore illo radix Isai 20) 10
Prostabit in signum populorum 21);
Gentes se convertent ad eam 22),
Et erit locus quietis ejus gloriosus. 23)

---

20) Radix poëtice, nempe quae germinavit et succrevit, ut sit antecedens pro consequente, vel caussa pro effectu.

21) נֵס signum in longa pertica vel trabe super altum montem erectum, quod in Bibl. Arch. (Germ.) P. II. T. II. §. 135. p. 465. descripsimus. Hic tropice usurpatur, et sensus est: ille surculus ita succrescet et eminebit, ut populi ad eum properaturi sint, sicut ad signum militare in alto monte erectum confluere solent.

22) דָּרַשׁ quaesivit, solet hic explicari de quaerendis eloquiis divinis, ut occurrit Gen. 25, 22. Exod. 18, 15. Deut 18, 11. 2 Reg. 22, 13.; verum incommoda est phrasis, a radice quaerere eloquium; quare potius vertendum est: convertent se, ut verbum hoc Ps. 9, 11. 14, 2. 22, 27. 34, 5. Jer. 8, 2. 2 Paral. 15, 13. 17, 3 — 4. et alibi usurpatum legimus.

23) מְנוּחָה locus quietis, Num. 10, 33. Mich. 2, 10., nempe locus ubi consistet, seu sine tropo, palatium, ut Ps. 132, 8. 14., quod autem, ut supra descripta regis justitia, solummodo ad integritatem imaginis pertinet.

Argumentum Jes. 11, 1—10.

Vaticinium hoc Jes. 11, 1—10., quod praecedenti vaticinio de sylva excisa, i. e., de clade exercitus Sancheribi, Jes. 10, 33—34. conf. 2 Reg. 18, 13—37. 2 Paral. 32, 1—21., opponitur, promittit aliquando fore, ut, sicut ex trunco et radicibus succisae arboris aurculus insignis succrescit, ita ex humiliata et sceptro privata familia Davidis nascatur insignis rex, pientissimus simul propheta futurus, et juste non solos Hebraeos, sed etiam gentes, sese sponte subjecturas, gubernaturus sit. Hanc promissionem sequitur Jes. 11, 11—16. praedictio reditus ex captivitate, et promissio victoriarum sub Maccabaeis seu Hasmonaeis. Pientissimus itaque ille rex et simul propheta sistitur quidem medius cladem Sancheribi inter et reditum ex captivitate, nequaquam tamen est Hizkias, qui temporis ordine, in vaticiniis autem non usitato, sequitur; nam hic princeps tempore hujus vaticinii jam erat 15 annos natus, promitti itaque non potuit futuro demum aevo ex humiliato et sceptro privata familia Davidis nasciturus, et quamquam erat pientissimus, propheta tamen non erat, nec gentibus se sponte offerentibus imperabat; legatio enim regis Babyloniorum, Jes. 39, 1—8. 2 Reg. 20, 12—21. 2 Paral. 32, 25—33. narrata, neque hyperbolice hac expressione designari potest, et adeo non fuit felix, ut e contrario tristissimum vaticinium commeruerit, Jes. 39, 4—8. Nec reditus Hebraeorum ex diversis regionibus, de Judaeis per irruptionem et strages Sancheribi dispersis, et post ejus cladem redituris exponi, neque subjuncta promissio victoriae

de bello Hizkiae contra Philistaeos 2 Reg. 18, 9—12, explicari potest; nam nostro loco non tantum Judaeorum, sed etiam decem tribuum reditus ex Assyria 11, 11—13. promittitur, et non solum bellum contra Philistaeos, sed etiam contra filios orientis, i. e., Arabes, ac contra Edomitas, Moabitas et Ammonitas praedicitur, quos demum Hasmonaei debellarunt, Hizkias autem nunquam aggressus est. Hic itaque pientissimus propheta rex alius esse nequit quam Messias, qui hic a Jesaia, sicut ab Ezechiele 17, 23., in summa pace gentibus se sponte subjecturis imperaturus praedicitur. Describitur quidem rex, mansuetis pauperibus jus dicturus, et juste regnaturus; ast meminisse oportet, quod saepius monuimus, illis temporibus Messiam sisti non potuisse nisi imagine regis, uti et nobis vita post mortem futura non potest verbis propriis, quae de hoc felicitatis genere omnibus linguis desunt, describi, sed diversis imaginibus regni, convivii, sinus Abrahami, horti seu paradisi, coronae etc. adumbratur, Luc. 22, 29—30. 23, 13. Matth. 14, 15. 19, 27—30. 26, 29. Rom. 5, 2. 2 Cor. 4, 17. 2 Tim. 2, 10. et al. l. Denique praetermittendum non est, Messiam nostrum, gubernationis divinae participem, reapse regnare, et esse judicem vivorum et mortuorum, ut vaticinium sensu eminenti completum sit. Ceterum versum nostri vaticinii 10mum adducit Paulus Rom. 15, 12.

Jes. 8, 19—9, 6.

Vaticinium, quod tractandum venit, inchoat quidem 9, 1.; verum ob seriem orationis, et quia 9, 1.

arcte cohaeret cum ultimo versu capitis praecedentis, etiam ultimi 5 versus hujus 8vi capitis explicandi sunt, quibus irruptio Sancheribi, et calamitas inde oritura, ac demum secutura liberatio praedicitur.

Si dixerint ad vos: quaerite respon- 19
sum a necromantis et hariolis, pipi-
entibus et mussitantibus 1); (responde-
te): nonne populus (quilibet) responsa
quaerit a Deo suo? num pro vivis (res-
ponsa) a mortuis (quaerenda)?, 2) — Ad legem 20
et doctrinam (revertimini.) 3) Nisi reddiderint

---

1) Si dixerint etc., nempe in illa irruptione Sancheribi. — אוֹב necromanten esse, ex 1 Sam. 28, 7—29. liquet, ab اوب seu آب med. Vau redi-it, reversus est, nisi sit Aegyptiacum ευβ sacerdos incantationibus occupatus, Scholz in Eichhorns Repertor. III. 19. Jablonski Opusc. T. I. p. 180—181. — יִדְּעֹנִי sciolus, hariolus, praestigiator. Utrumque hoc genus impostorum jam Lev. 19, 31. 20, 6. 17. Deut. 10, 11. occurrit. Necromantae nomine animarum, ab inferis excitatarum, responsa debili halitu pipiebant et mussitabant, vel syllabatim pronuntiabant, (quod proprie dicit מְהַגִּים, IV. ab הָגָה) praetendentes, umbras defunctorum efficacius loqui non posse.

2) et 3) Ita supplendae sunt ellipses.

hunc sermonem 4), cui nulla inest fascinatio 5): circuibunt in ea (regione) afflicti et esurientes 21
6); et si esurierint, irascentur, et maledicent re-

---

4) כִּי לֹא יֹאמְרוּ כַּדָּבָר הַזֶּה quod si non dixerint juxta sermonem hunc, si non reddiderint sermonem hunc, seu si huic provocationi non, ut oportet, responderint.

5) Qui vertunt hanc sententiam tanquam apodosin: non erit eis aurora, non observant, non esse: eis, לָהֶם, sed: ipsi, לוֹ, nempe sermoni, cui aurora aptari non potest. Vox שַׁחַר quidem vigesies in Bibliis auroram significat; ast Verbum שַׁחֲרָהּ etiam Jes. 47, 11. opponitur כַּפְּרָהּ expiare eam, ut vertendum sit: excantatione depellere eam, et ita vertendum est etiam nostro loco, incantatio, fascinatio; scilicet שָׁחַר est quaesivit, et niger fuit, atque ut سَحَرَ, fascinavit, unde nostrum Schwarzkunst, prout alibi annotavimus, descendere videtur. Respicitur nempe ad incantationes necromantarum et hariolorum, de quibus sermo praecessit.

6) נִקְשֶׁה induratus, et duriter tractatus, afflictus, uti verba Arabica duritici, ad duram tractationem et afflictionem transferuntur. Ceterum verba haec omnia collective capienda esse, aliunde liquet. — רָעֵב esuriens, رَغِبَ, amplo ventre, gulosus, vorax fuit; alii conferunt رَعَبَ, terruit, et vertunt territus; ast nulla urget ratio ab usitata verbi notione recedendi.

gi suo et deo suo7); respicient in superna, et intue- 22
buntur terram 8), et ecce (ubique) angustiae et
tenebrae 9), languor angustiae 10) et caligo ex-

---

7) Maledicent---deo suo, nempe suo idolo; nam de illis, qui necromantas consulebant, et idololatriae dediti erant, sermo est.

8) Ultima verba versus 21., arcte cohaerent cum primis verbis v. 22., et, ut reliqua, collective intelligenda sunt.

9) Tenebras et caliginem esse imagines calamitatum et miseriae, notum est.

10) מְעִיף et sequens מוּעָף derivavimus ab עִיף = غاف, med. Je nutavit, in II. pusillanimis fuit, أغياف capite nutans citra somnum, adeoque ex pusillanimitate, fatigatione, languore; concinit Syr. עוף non tantum, ut עפף, duplicari, sed etiam viribus deficere, et in II. pass. deliquium pati; unde Hebr. עָיֵף fessus, delassatus, proprie fame deficiens, ut ex 2 Sam. 17, 29. Ps. 63, 2. apparet, cf., 1 Sam. 14, 28. 31. Job. 22, 7. Gen. 25, 29. Ps. 134, 6. Jes. 32, 2. Jer. 31, 25. Prov. 25, 25. Haec nostra versio convenit praecedenti fami esurientium. Alii duabus his vocibus tribuunt notionem caliginis, et provocant ad parallelismum et ad Job. 11, 17., ubi tamen etiam notio volandi (עוף) locum habere potest.

pansa. 11) Verum non erit languor (perpetuus 23
illi regioni), cui erat angustia, prout 12) regio Zebulon et regio Naphthali vilipensa fuit tempore antiquo 13), et tempore quoque posteriori aggravatus fuit 14) hic tractus ad mare

---

11) מֻעָף protrusus, expansus, genere discordat ab עֵיפָה, quod autem non est rarum.

12) Caph in כָּעֵת, tanquam praepositionem temporis, neglexerunt omnes antiqui, et totum versum retulerunt, uti recentiores, ad sequentia, qui mihi quidem videtur referendus ad praecedentia, et Caph esse particula similitudinis, ut Jes. 5, 24. 18, 3. Ps. 12, 9, 68, 3; nexus est: illi regioni (Judaeae in irruptione Sanheribi) non erit perpetua calamitas, vilipensio et aggravatio, sicut et olim erat et nunc est regioni Zebulon et Naphthali, tractui ad mare Genesareth cis Jordanem, Galilaeae gentium; sed rursus laetiora Judaeae tempora redibunt, ut c. 9, 1. in opposito membro diserte dicitur.

13) וְהָאַחֲרוֹן Vau praefixum nequaquam indicat apodosin comparationis aut oppositionis, nec ullus antiquorum sequens membrum reddidit ut apodosin prioris; Vau hoc exegeticum est: nempe, scilicet.

14) הִכְבִּיד aggravavit (aggravans), seu aggravatus fuit, ut praecedens הֵקַל (a קָלַל) vilipendit (vilipendens), seu vilipensus fuit. Qui הִכְבִּיד ver-

15) cis Jordanem 16), Galilaea gentium. Sed popu- 9-1
lus ille ambulans in tenebris „(incolae Judaeae in ir-
ruptione Sancheribi)" videbit lumen magnum, habi-
tantibus in umbra mortis orietur lux. 17) Multipli- 2

---

tunt honoravit, notionem formae II. propriam, sine idoneo argumeuto trahunt ad formam IV. Regio Zebulon et Naphthali, tractus ad mare cis Jordanem et Galilaea gentium sunt synonyma; regio haec olim sub regibus Israel incursionibus Syrorum patuit, et aetate Jesaiae incolas amisit, qui a Thiglathphilesere in exsilium deportati sunt, adeoque regio antiquo et posteriori tempore afflicta erat; ast ita non erit Judaea.

15) דֶּרֶךְ הַיָּם via maris, nempe Gennesareth, quod erat limes orientalis tribus Zebulon; דֶּרֶךְ adverbialiter h. l. venit pro versus, ut Deut. 1, 2. 19. Ezech. 8, 5. 21, 2. 40, 20.; id hic commode exprimitur tractus.

16) Cis Jordanem, עֵבֶר significat cis et trans; ambiguitas contextu, substrata materia, aut adjecto quopiam figitur, ut Deut. 3, 8. 4, 49. 1 Sam. 31, 7. Jos. 1, 15. 9, 1. 12, 1. Num. 34, 15. 35, 14.

17) Populus ille (cum articulo) ambulans in tenebris et habitans in umbra mortis' i. e. caligine densissima, est ille, qui 8, 21—22. in angustia, tenebris et caligine languebat, nempe populus regni Judae in irruptione Sancheribi, cujus sors misera nequaquam sorti Zebulon et Naphthali similis erit, sed felicitas ipsi redibit, quae ortu lu-

cabis gentem, augebis ei 18) laetitiam, et laetabuntur coram te sicut in laetitia messis, sicut exsultant, qui dividunt praedam; 19) quia jugum onerosum, et vectem humeri, et baculum exactoris, sicut in die Madian 20),

---

cis significatur; sine tropo: Judaei per cladem Sancheribi a jugo Assyriorum liberabuntur. Quia עָם collectivum est, jungitur participio plurali הַהֹלְכִים. Locus hic ex versione Alexandrina, ob quampiam similitudinem adcommodatur Matth. 4, 13—15, ut Jes. 53, 4. Matth. 8, 17.

18) Textus receptus exhibet לֹא non, cum קְרִי לוֹ, (lege לוֹ ipsi), quod in textu sistunt codd. 13, forte 3, nunc 1, pr. 4., Syrus, Chaldaeus, Saadias Haggaon, et postulant praecedentia de luce seu felicitate, et subsequentia de laetitia, quae utique de clade et fuga Sancheribi permagna erat.

19) De gaudio tempore messis et distributionis praedae consule meam Germ. Arch. Bibl. P. I. T. I. §. 71. p. 333 et P. II. T. II. §. 246. p. 514—516. Qui solas primitias messis, et donária, ex praeda templo et sacrificiis sacrata, indicari putant, sensum nimis coarctant.

20) עֹל סֻבֳּלוֹ jugum oneris ejus, i.e. onerosum, quod, uti vectis, humero jumentorum incumbens, uti vectis humeri et baculus exactoris jumenta impellentis, vel operarios urgentis, est imago servitutis. Sensus est: clade Sancheribi recuperabitur libertas ab aliena dominatione. Dies Midian est praelium, quo Midianitae per Gideonem prostrati sunt, Jud. 7 et 8.

confregisti. Nam omnes calceantes se, non- 4
nisi ad trepidationem (se calceabunt 21): vestes volutabuntur in sanguine, et erunt incendio, pabulum ignis. 22) Nam puer nobis natus, et filius 5
nobis datus est 23), in cujus humero erit impe-

Haec liberatio iisdem fere verbis praedicitur etiam Jes. 10, 26—27.

21) סְאֹן סֹאֵן calceando se calceans, a Syriaco סְאֵן calceavit, et סָאוּנָא, ut Chald. סֵין et סֵינָא, calceus, cf. Bar. Hebr. Dynast. p, 347. lin. 18. De calceis vel ocreis militaribus sermo est, de quibus vide meam Bibl. Arch. P. II. T. II. §. 220 p. 412. Species pro omni genere armorum ponitur, et sensus est: milites frustra se armabunt; non enim erit nisi trepidatio; רַעַשׁ nunquam est strepitus, ut quipiam h. l. vertunt, sed semper trepidatio, commotio.

22) Vestimenta sanguine corrupta, uti et arma confracta, a fugientibus hostibus relicta, concremabantur, Ps. 49, 9—10 Ezech. 39, 9—10.

23) His et sequentibus exponitur, per quem Judaei a jugo Assyriorum liberabuntur, nempe per Hizkiam filium regis Achaz, tum jam saltem 15 annos natum; quare haec verti nequeunt in Futuro, nisi nexum cum prioribus rumpere velis. Humeris hujus filii fulcietur imperium. Qui haec de Messia explicant, connexionem cum praecedentibus violenter dilacerant.

rium, et vocabitur 24) nomen ejus admirabilis 25), consiliarius 26), deus 27), fortis 28), pater

---

24) וַיִּקְרָא et vocabit (vocans), i. e., vocabitur, vel vocari poterit.

25) פֶּלֶא admirandus, admirabilis, quod nomen Hizkiae adprime convenit, tum ob inconcussam in Deum fiduciam et admirabilem liberationem a Sancheribo, tum ob illam, a Jesaia praedictam sanationem morbi, Jes. 38 et 39. 2 Reg. 18, 3 — 8. 2 Paral. 29, 1—32. Nomen quidem פִּלְאִי sibi vindicat ille legatus Jehovae et simul Jehova Jud. 13, 18.; inde autem non consequitur, nomen esse ubique divinum.

26) יוֹעֵץ consiliarius; perspicacia et consilio praeditus erat Hizkias, se non dedens Sancheribo, ut eventus comprobavit. Quod Jes. 11, 2. legitur רוּחַ עֵצָה spiritus consilii, ut vidimus, aliud edicit; ex usu enim loquendi in illo orationis praesertim nexu est spiritus propheticus.

27) אֵל, uti אֱלֹהִים, etiam de viris eminentibus usitatum est, sicut de Nebucadnezare Ezech. 31, 11. et de judicibus Ps. 82, 1. Ezech. 32, 21 Job. 41, 17.; significat enim proprie fortem, qualis erat Hizkias.

28) גִּבּוֹר heros, potens, passim de hominibus occurrit; de Deo autem fere semper cum articulo הָאֵל הַגִּבּוֹר Deut. 10. 17. Jer. 32, 18. Neh. 9, 32.; raro sine articulo, ut Jes. 10, 21.

seculi 29). princeps pacis. 30) Non erit finis mag- 6
nitudinis imperii et pacis super throno Davidis,
et regni ejus ad firmandum et stabiliendum ipsum
per jus et justitiam a nunc usque in seculum. 31)
Aemulatio Jehovae omnipotentis 32) hoc perficiet.

Argumentum Jes. 9, 1—6.

Propheta 8, 19—22 graviter monet, ne in irruptione Sancheribi se ad deos et idola convertant, aut necromantas et hariolos consulant, sed ut legem observent, quod nisi fecerint, in acerbissimas calamitates incident.

---

29) אֲבִיעַד pater seculi. Arabibus haec phrasis possessorem significat, Hebraeis autem non solum auctorem Gen. 4, 20—21., sed etiam gubernatorem Jes. 22, 21. — עַד, sicut עוֹלָם, etiam de longo tempore usurpari, notissimum est. Sensus itaque est: gubernator longi temporis, seu sui temporis, fere idem ac pater patriae, sicut Jes. 22, 21. Eliakim dicitur pater incolarum Jerusalem.

30) Excepto unico bello 2 Reg. 18, 8. Hizkias pacem coluit.

31) Hyperbolica descriptio regni Hizkiae, qui reapse thronum Davidis, irruptione Sancheribi concussum, in diuturnum tempus firmavit, cultum divinum restituit, et 2 Reg. 18, 15. omnibus aliis regibus praefertur.

32) Aemulatio Jehovae pro Hebraeis, seu amor quo Jehova Hebraeos complectitur et fovet.

Attamen hae Judaeorum, calamitates 8, 23—9, 6., non erunt, ut calamitates regionis Zebulon et Naphthali, perpetuae aut diuturnae, sed in magnam convertentur felicitatem et laetitiam, quia ab aliena dominatione, ut olim a Midianitis, subito liberabuntur, et quidem per regem, qui tum juvenis erat, aliquando autem, regnum adeptus, omnibus admirationi erit, prudens, forti animo, pater patriae, et pacificus, ac thronum Davidis recta justitiae administratione in longum tempus firmabit. — Qui attente consideraverit, ea, quae dicuntur 8, 23—9, 6., arcte cohaerere cum illis, quae 8, 19—22. de calamitate praecedunt: negare non poterit, utrobique de eodem tempore esse sermonem. Quodsi igitur, quod perspicuum est, et a nemine negatur, comma 8, 19—22. de irruptione Sancheribi intelligendum est; profecto 8, 23—9, 6. de clade Sancheribi, de liberatione Judaeorum et de Hizkia agit. — Qui vaticinium nihilominus de Messia interpretantur, me non magnopere repugnantem habebunt, si ostenderint, Prophetam potuisse Messiam, in prospectu prophetico visum, tam arcte cum liberatione a Sancheribo, nectere, imo et dicere, p u e r u m j a m n a t u m, et f i l i u m j a m d a t u m esse, qui omnia restiturus est. Grandia autem illa epitheta, quae huic, jam tum nato regi tribuuntnr, Hizkiae adprime convenire, in notis versioni subjectis vidimus. — Siquis haec de Immanuele Jes. 7, 11—14. dici putat, immemor est, hunc Achazo promitti in portentum, nullum autem ipsi tribui regnum; nam t e r r a vel r e g i o I m m a n u e l i s Jes. 8, 8.. non amplius in-

nait, nisi patriam ejus, sicut Gen. 12, 1. patria Abrami dicitur terra seu regio ejus.

Mich. 5, 1 — 3.

Vaticinia Michae 1, 2 — 5, 14. uno sermone decurrunt; quare, ut nexus segmenti 5, 1 — 3. perspiciatur, paucis exponenda sunt.

Propheta orditur 1, 2 — 5. praedicendo calamitates, quae utrique Hebraeorum regno ob idololatriam aliaque scelera imminebant, et mox 1, 6 — 7. Samariae impendens plenum vaticinatur excidium, (quod per Salmanassarem sexto anno Hizkiae 2 Reg. 17 consecutum est). Calamitas autem attinget etiam regnum Juda, Jerusalem et urbes finitimas, 1, 8 — 16. (Irruptio Sancheribi 2 Reg. 18, 13 — 19, 37. 2 Paral. 32, 1 — 21. Jes. 36, 1 — 37, 38.). Dein Propheta scelera, quae c. 1, 2 — 5. attigerat, exponit, et reprehendit 2, 1 — 5. illos, qui, libidine acquirendi, atroces violentias exercebant, quas sequetur castigatio. (In utroque regno: eversio regni Israel, et irruptio Sancheribi in regnum Juda.) Corripit dein 2, 6 — 10. illos, qui, infausta haec vaticinia abhorrentes, postulabant laeta, etsi et ipsi violenti erant raptores et poena digni, quam eis etiam impendere affirmat, nempe exsilium. (Id ad utrumque regnum pertinet) Subsannando pergit Micha 2, 11 — 13., se acceptum fore prophetam, si fausta, etsi falsa, promitteret; ast ipse e contrario 3, 1 — 4 — 7 — 12. injustos et crudeles carpit magistratus, pseudoprophetas pro mercede laeta promittentes, et avaros

sacerdotes, atque 3, 12. diserte praedicit, propterea montem Zion in campum arabilem, et Jerusalem in acervum lapidum redigendam esse, (per Chaldaeos 2 Reg. 24, 18 — 25, 30. 2 Paral. 36, 11 — 21. Jer. 39, 1 — 18. 52., 1 — 34.) Ast templum (cum urbe dirutum 3, 12., aliquando autem restitutum) 4, 1 — 7. fiet celeberrimum, et a gentibus quoque frequentabitur; Hebraei etiam ipsi, ex exsilio reduces, Deum constanter colent (sub monarchia Persarum et Graecorum), et v. 8. rursus habebunt reges proprios (Hasmonaeos). Ante autem quam id futurum sit, Judaei (per Chaldaeos) acerbissima calamitate opprimentur, reges suos amittent, et migrabunt in Babyloniam 4, 9 — 11., ut jam 3, 12. per eversionem urbis insinuatum fuit. Aliquando autem 4, 12 — 14. Judaei rursus erunt hostibus superiores, eosque, etsi contumeliose tractati, debellabunt, (Syro-Macedones post exsilium sub Maccabaeis, seu Hasmonaeis, sicut jam 4, 7 — 8. obscurius dictum fuit) Prodibit denique 5, 1 — 3. ex Bethlehem Ephratha, ex stirpe ab antiquis temporibus celebri, rex insignis; praecedet autem magna calamitas, (oppressio Antiochi Epiphanis.) Rex vero ille a Deo roborabitur, et excelsa Dei potentia nixus subsistet, atque celebrabitur usque ad terminos terrae. Sequi-

tur denique 5, 4 — 14. vaticinium de victoriis (Maccabaeorum), prout 4, 8. 12 — 14. praecesserat. *)

Promissio itaque regis, e Bethlechemo egressuri, media est inter vaticinia de victoriis Hasmonaeorum; ast temporis ordinem in vaticiniis non observari, jam multis exemplis comprobatum est, ut turbare neminem possit.

Mich. 5, 1 — 3.

„Tu autem Bethlechem Ephratha, minor 1
„quidem es, quam ut sis inter millia Judae 1);
„ex te tamen prodibit, qui sit dominator Israeli-

---

1) Bethlechem, aliunde ignobilis, et solummodo, quia solum natale erat Davidis, celebris, sex milliaribus Romanis (1 1/5 mill. Germ.) a Jerusalem ad austrum distans vicus, cognominatur Ephratha, ut distinguatur a Bethlechem in tribu Zebulon, Jos. 19, 15.; hinc etiam Matth. 2, 6. additur γῆ Ἰουδα. Non habebat 1000 cives, ut majoribus familiis accenseri posset, et proprio chiliarchae pareret. Exod. 18, 21. Deut. 33, 17. Jos. 22, 14. 2 Paral. 17, 24. Eruditi Judaei Matth. 2, 6., vel interrogative legerunt hanc sententiam, unde sensus negativus emergebat, vel sensum expresserunt: etsi parva, tamen etc., ȣδαμως ελαχιςτη εν τοις ἡγεμοσιν,

---

*) V. 4. e. 5. non pertinet ad regem e Bethlechem progressurum, sed ad sequentia, et שָׁלוֹם non significat pacem, sed felicitatem; nam de felicibus armis et bellis sermo est.

„tarum 2), et cujus prosapia antiqua et a tempore „vetusto (celebris est 3).“ Verum (Jehova) tradet eos, donec parturiens pepererit 4), et reliqui fra-

---

enunciarunt nempe בְּאַלְוּפֵי, cf. Kvinoel Comment. in L. L. Hist. N. T. T. I. p. 43 — 44. Ceterum Bethlechem masculine construitur, uti nomina urbium etiam in dialecto Arabica nonnunquam masculine usurpantur. — לִי est Dativus commodi, quem in versione neglexïmus.

2) מֹשֵׁל dominans, dominator; מָשַׁל dominatus est, notio Hebraeis priva; ast מָשָׁל parabola, similitudo, sententia, proverbium, = Aram. מְתַל Arab. مَثَلَ similis fuit, assimilavit, similitudine, parabola aut carmine usus est. Hunc dominatorem esse Messiam agnoscebant Judaei aetate Christi Matth. 2, 5 — 6. Joh. 7, 41 — 42., et omnes etiam recentiores confitentur.

3) מוֹצָאֹתָיו exitus ejus, pluralis magnitudinis. Vox quidem alias de prosapia non occurrit; ast יָצָא hac notione usurpatur, Jes. 11, 1. 48, 1. 51, 1. Gen. 16, 6. 25, 25. Ceterum in hac sententia supple: celebris est.

4) לָכֵן non tantum ideo, propterea, sed etiam verum, nihilominus, ut Jer. 16, 14. 30, 16. Hos. 2, 16. Jes. 7, 14. 30, 18. Ezech. 39, 25. — יִתְּנֵם dabit, i. e., tradet eos Jehova hostibus, quos recentiores quipiam censent esse Chaldaeos,

tres ejus redierint ad Israelitas.5) Tum consistet 6)

---

ut c. 4, 13.; verum hi medium inter Syro-Macedones 4, 14. et 5, 4. seqq. locum sibi vindicare non possunt; intelligendi sunt Syro-Macedones sub Antiocho Epiphane. — Parturiens est filia Jerusalem, seu populus Judaicus, qui ut matrona sistitur; et persecutiones Antiochi Epiphanis comparantur doloribus partus, cf. Bibl. Arch. P. I. T. II. §. 212. p. 355. Hac imagine utitur Propheta etiam c. 4, 10., ubi eam quoque explicat. Nec obstat, quod praecessit: *tradet eos*; nam notissimum est, Hebraeos in eadem orationis serie non raro propria jungere inpropriis, et tropica propriis.

5) *Fratres ejus* (dominatoris) sunt Israelitae, qui audita felici contribulum suorum sorte, qua, devictis Syro-Macedonibus, usuri sunt, revertentur in patriam. Dicuntur redituri ad *Israelitas*, בני ישראל, quia non solum regnum Juda aut regnum Israel, sed integra gens, cujus pótior pars illo aevo in Palaestina erit, et reapse erat, designanda erat, conf. Mal. 1, 1. Zach. 12, 1.

6) ועמד Vau praefixum valet *tunc*, tum, ut Jud. 15, 10. 2 Sam. 12, 5. 1 Reg. 1, 21. Dan. 8, 17. 1 Paral. 19, 11. — עמד *stetit*, et etiam *constitit, perstitit, perseveravit*, ut Exod. 30, 23. Ps. 33, 11. Amos 2, 15. Ezech. 13, 8. 1 Sam. 30, 9 — 10. Jer. 32, 14. 48, 11. Arabibus عمد est *gravavit*, sed in IV *fulcro sustinuit*, i. e. consistere fecit.

et regnabit 7), roboratus a Jehova 8), per excelsam potentiam Jehovae Dei sui. 9) Habitabunt itaque (secure 10), quia tunc magnus erit usque ad terminos terrae. 11)

Argumentum Mich. 5, 1 — 3.

Rex insignis, qui promittitur, non armis, non bellis sed operatione divina et singulari Dei potentia per-

---

7) וְרָעָה et pascet, i. e., regnabit; persistet et regnabit, i. e. perseveranter regnabit

8) בְּעֹז יי׳ in robore, vel per robur aut potentiam Jehovae, i. e., a Jehova roboratus, seu operatione divina regnabit.

9) בִּגְאוֹן in celsitudine, loco Adjectivi, excelsa. — שֵׁם יי׳ nomen Jehovae, jam idem est ac Jehova, jam gloria, majestas Jehovae, jam etiam potentia Jehovae, ut Ps. 20, 2. 33, 21. 44, 6. 54, 3. 75, 2. 89, 25. 124. 8. Act. Apost. 4, 7., et hanc notionem postulat praecedens עֹז robur, potentia. — In celsitudine potentiae Jehovae, i. e., excelsa et eminenti potentia Jehovae (non armis et bellis) confirmatus perseveranter regnabit.

10) וְיָשָׁבוּ (mente supplendum est לָבֶטַח) et habitabunt secure, quod ad integritatem imaginis pertinet.

11) עַד אַפְסֵי אָרֶץ usque ad terminos terrae, non solius Palaestinae; nam id reliquis encomiis minus esset, sed usque ad fines orbis terrarum, seu latissime.

severanter regnaturus, et usque ad fines orbis terrarum celeberrimus 5, 3., oppositus est aliis post exsilium regibus nempe Hasmonaeis 4, 8., et egressurus dicitur ex Bethlechem, quod quidem tropice de stirpe Davidis seu Isai Jes. 11, 1., intelligi posset, a Judaeis autem aetate Jesu proprie exponebatur de loco nativitatis, Matth. 2, 4 — 6. Joh. 7, 14., quod eventu comprobatum fuit. Matth. 2, 1. Luc. 2, 4—7. Tempus adventus etiam aliquatenus definitur; venturus enim dicitur, postquam matrona partum ediderit, i. e., populus Judaicus magnam rerum conversionem subierit, qua quidem captivitas Babylonica et reditus in patriam intelligi potuit, vero similius autem, eventu comprobante, simul persecutio Antiochi Epiphanis et revolutio per Maccabaeos adducta, indicatur. Hinc liquet, his nequaquam Hizkiam, aut ullum alium regem adumbrari nisi Messiam, qui, cum illo aevo verbis propriis describi nec potuerit nec debuerit, sistitur imagine regis terreni, usque ad terminos orbis terrarum celeberrimi, et civibus suis sine vi armorum securam habitationem, seu sine imagine, salutem et felicitatem paraturi, ac simul perpetuo regnaturi, quod ipsum etiam supra vidimus Ezechielem 37, 25. disertis verbis praedixisse, nec ullibi alterius Davidis successorem memorari deprehendimus; hinc Judaei Joh. 12, 34. dicunt: ἡμεις ηκȣσαμεν εκ τȣ νομȣ (quo nomine etiam omnes libri sacri appellabantur), ὁτι χριστος μενει εις τον αιωνα, nos audivimus ex lege (e libris sacris), Christum mansurum in perpetuum.

Hos. 3, 1 — 5.

Dixit porro Jehova ad me: „age! ama mulie- 1
„rem, quae amatur a marito et moechatur 1),
„sicut Jehova amat Israelitas 2), qui se vertunt
„ad alios deos, et amant mel uvarum passarum.
„3)“ Emi itaque eam mihi 4) quindecim argenti 2

---

1) לֵךְ vade, idem valet ac age; a יָלַךְ ivit. — אֱהַב ama, h. l. idem ac desponsa tibi, ut patet ex sequenti emtione v. 2. — רֵעַ amicus, proximus, h. l. est maritus, et cum participio passivo אֲהֻבַת, amata, constructum, in Ablativo vertendum.

2) כְּאַהֲבַת secundum amorem, Substantivum pro Infinitivo, qui venit pro modo finito, sicut amat; similem syntaxim vide Deut. 7, 8. 10, 15. 1 Reg. 10, 9. Hos. 9, 15. 2 Paral. 2, 11. 9, 8.

3) אֲשִׁישִׁים alias, ut Jes. 16, 7., sunt fundamenta, sicut أسيس, Syr. אֲשִׁיתָא, et Chald. אֲשַׁיָּא; verum h. l. venit pro אֲשִׁישָׁה massa ex musto uvarum decocta, uti Syrus vertit: mel uvarum passarum, de quo cf. Olearii Reis. S. 577. vel Gesenii Lexicon p. 69 et Michaelis Suppl. p. 140 — 142. Dulcedines sunt illecebrae mulierum; sine tropo: Hebraei amant illecebras idololatriae.

4) אֶכְּרֶהָ emi; Dagesch in Caph est euphonicum, כָּרָה non tantum fodit, sed etiam emit, ut Deut. 2, 6.; affine est كرا conduxit.

(siclis) atque Chomero et Lethecho hordei. 5)
Dixi autem ad eam: „diuturno tempore me ex- 3
„spectabis 6); non scortaberis, nec eris alterius
„7), neque ego ero tuus. 8)“ — Nam 9) diuturno
tempore manebunt Israelitae sine rege, sine prin- 4

---

5) De emtione sponsarum, de siclis, Chomero et Lethech, vide Bibl. Arch. Latinam §. 114. — 116 p. 200 — 203. et §. 153. p. 160, Chaldaeus exponit symbolum: „redemi eos בְּמֵימְרִי, per verbum „meum, 15 mensis Nisan, et dedi in redemtionem „vitae eorum argentum siclorum, et praecepi, ut „offerrent coram me manipulum hordei“ etc.; quid symbolo reapse designetur, exponitur v. 4 — 5.

6) תֵּשְׁבִי לִי sedebis mihi, i. e., exspectabis me, cf. Exod. 14, 14. Jer. 3, 2.; nempe nuptias exspectare jubet, quas inter et desponsationem aliunde fere spatium anni relinquebatur, quod hic in longius indefinitum tempus extenditur, cf. meam Arch. Germ. P. I. T. II. §. 179. p. 250.

7) Non eris vel non fies alterius nempe sponsa vel uxor.

8) וְגַם אֲנִי אֵלָיִךְ (intelligendum est לֹא ex praecedenti membro, ut Ps. 9, 19. 38, 2. coll. 6, 2. 44, 19.) et ego (non) ad te (accedam), seu te non per nuptias domum deducam.

9) Intellige: ut adumbretur, quod Israelitis imminet; nam etc., vel si magis placet, כִּי vertendum est: sic.

cipe, sine sacrificio, sine statua, sine Ephod, 10) sine Theraphim 11). Deinde rursus quaerent Israelitae Jehovam Deum suum et David regem suum 12), et venerabundi venient 13) ad Jehovam et ad felicitatem, quam illo futuro tempore largietur. 14)

---

10) Ephod summi pontificis descripsimus in Germ. Bibl. Arch. P. III. §. 90. p. 351 — 352.; simile vestimentum etiam in regno Israel summus sacerdos vitulorum aureorum, qui hic nomine statuae, מַצֵּבָה veniunt, usurpasse videtur; ad praesentem enim tum temporis rerum statum respicit Propheta: erunt sine his omnibus, quae nunc habent.

11) De Theraphim consule Germ. Bibl. Arch. P. III. §. 9. p. 44. et §. 135. p. 504,

12) יָשֻׁבוּ־וּבִקְשׁוּ revertentur...et quaerent, i. e., rursus quaerent, nempe gratiam et favorem Jehovae etc.; intellige: et invenient eum; est enim contrarium praecedentis versus, ubi Israelitae, etsi ab idololatria alieni, gratia et favore Dei destituuntur. Convertent se et quaerent, ut aliqui vertunt, praecedentibus repugnat, ubi sistuntur sine idololatria.

13) וּפָחֲדוּ אֶל יי׳ et trepidabunt ad Jehovam, sententia praegnans pro: venient trepidantes, venerabundi.

14) וְאֶל טוּבוֹ et ad bonum, vel benignitatem

Argumentum Hos. 3, 1 — 5.

Hoseas c. 1. per Gomer, filiam Diblaim, primam suam uxorem adulteram adumbraverat idololatriam et corruptionem regni Israel, atque per nomina trium prolium, quas uxor illa peperit, indicaverat imminentem poenam, scilicet excidium et exsilium, a Deo irrevocabiliter decretum, cui c. 2, 1 — 3. subjunxit promissionem reditus in patriam. Utrumque deinde c. 2, 4 — 25. sine symbolis, verbis propriis exposuit. Jam c. 3., ut vidimus, subjungit symbolum secundae uxoris, quam aeque adulteram sibi desponsat, ea tamen lege, ut longiori tempore honestam et pudicam sponsae vitam vivat, nec alterius fiat sponsa aut uxor, neque ipse eam per nuptias domum deducat, ut ita adumbretur futura Israelitarum diuturna conditio, nempe exsilium, in quo, etsi deos alios non colent, Deum tamen non habebunt maritum faventem, donec futuro aliquando tempore rursus tum Dei, tum regis Davidis gratiam quaerant et consequantur.

Hoc vaticinio, si ordini insistere liceret, aliud indicaretur exsilium, quam illud Assyriacum, quod jam c. 1. et 2. praedictum fuit; hinc quipiam Judaei, ut paraphrastes Jonathan et Abenezra, praesens longum omnium Hebraeorum exsilium intelligunt, ex

---

favorem, felicitatem quam eis parabit. אַחֲרִית הַיָּמִים postremitas dierum, est tempus futurum indefinitum.

quo, ut sperant, Messias ipsos reducet in patriam. Christiani autem interpretes permulti censent, praedici, Judaeos in moderno exsilio aliquando Messiam Jesum agnituros, quod etiam Paulus Rom. 11, 25—26. praedixit. Verum Hoseas non de omnibus Hebraeis, sed de 10 duntaxat tribubus, quas hoc c. 3., sicut c. 1. et 2. vocat בְּנֵי יִשְׂרָאֵל, loquitur; quare de praesenti omnium Hebraeorum exsilio sine violentia explicari vix potest.

Repetit potius, more aliorum prophetarum, et ex alia parte sistit Assyriacum decem tribuum exsilium, quod jam c. 1. praedixerat, et adumbrat ipsum ut longiori tempore duraturum, et demum secuturum reditum, atque huic reditui, ut alii prophetae, jungit promissionem Messiae, quin tempus adventus definiat, aut ullum ejus characterem praeter originem ex prosapia Davidis prodat. — Qui pro praesenti omnium Hebraeorum exsilio provocant ad v. 4, quo exsulantes sistuntur ab idololatria alieni, non observant, hunc statum non esse omnium Hebraeorum, sed duntaxat decem tribuum, et opponi idololatriae et τῃ μοσχολατρειᾳ aetate Prophetae, ac in exsilio Assyriaco per multos Israelitas fuisse fideles Dei cultores, dubitari non potest, de reliquis autem, idola colentibus, hic non est sermo.

Amos 9. 11—15.

„Tempore illo 1) erigam tugurium Davidis, 11

---

1) בַּיּוֹם הַהוּא dic, seu tempore illo indefinito post exsilium, de quo sermo praecessit.

„quod collapsum erit 2), obsepiamque rupturas „ejus 3), ac diruta ejus restaurabo 4), et aedificabo ipsum, quale erat temporibus pristinis. 5) Ideo 6)

---

2) סֻכָּה (a סָכַךְ texit) tugurium, sine tropo, palatium, seu dignitas regia; Amos pastor tropos a pastoribus, e quibus et David olim fuerat, desumere amat. — הַנֹּפֶלֶת quod cadens, i. e., collapsum erit. Qui contendunt, Participia cum articulo semper sistere tempus praeteritum, refelluntur locis Gen. 14, 7. Exod. 11, 18. Num. 13, 18. 14, 15. et al.

3) גָּדַרְתִּי obsepiam; tuguria pastorum ramis construuntur aut macerie, de qua Num. 32, 16. occurrit derivatum גְּדֵרָה = جَدِيرَة sepimentum. — פִּרְצֵיהֶם rupturas eorum; suffixum plurale magnitudinem innuit; פֶּרֶץ ruptura; פָּרַץ rupit = فَرَصَ secuit, laceravit.

4) הֲרִיסוֹתָיו diruta ejus; הָרַס diruit, destruxit = هَرَسَ contudit vehementius. Suffixum masculinum singulare refertur ad Davidem.

5) כִּימֵי עוֹלָם sicut diebus seculi, i. e., temporibus pristinis.

6) לְמַעַן propter, h. l., ut saepe, duntaxat ἐκβατικῶς, ubi verti potest ideo, sicut Hos. 8, 4. Exod. 11, 9. Jer. 27, 15. Ps. 30, 13. Haec ambiguitas particulae nostram sententiam ambiguam reddit; si vertas ut, pertinebit ad restitutam dignitatem regiam; si

„acquirent reliquias Edomitarum 7) et omni- 12
„um gentium, quae a nomine meo denominabun-
„tur 8) „est effatum Jehovae, qui hoc praestabit. 13
„Ecce dies venient", est effatum Jehovae, „qui-
„bus arator attinget messorem, et calcator uva-
„rum seminantem 9), et montes stillabunt musto,
„ac colles redundabunt. 10) Reducam enim cap- 14
„tivum populum meum Israel. Aedificabunt urbes
„vastatas, et habitabunt (eas); plantabunt vi-
„neas, et bibent vinum earum; serent hor-
„tos, et manducabunt fructus eorum. 11) Nam 15

---

autem vertas ideo, sententia pertinet ad aetatem auream, quae mox describitur secutura post reditum ex exsilio, et ita vertendnm esse, non solum eventus, sed etiam collatio vaticiniorum, quae supra pertractavimus, docet.

7) Alexandrinus in cod. Alex. *ὅπως εκζητησωσιν οἱ λοιποι των ανθρωπων τον κυριον*, et ita adducitur locus Act. 5, 17.; legit itaque יִדְרְשׁוּ pro יִירְשׁוּ, et אָדָם pro אֱדוֹם; verum lectiones hae in nullo codice repertae sunt, probari itaque vix possunt.

8) Quae nempe cum Hebraeis coalescentes vocabuntur populus Jehovae, cf. 63, 19. Jer. 14, 9.

9) Similis promissio ubertatis legitur Lev. 26, 5.

10) V. 13. est descriptio aetatis aureae, quae secutura sistitur post reditum ex captivitate.

11) His contraria non raro comminantur Prophetae,

„plantabo eos in regione sua 12), ut non rursus „evellantur e regione, quam eis dedi", ait Jehova Deus tuus.

Argumentum Amos 9, 11—15.

Propheta Amos, inde a c. 1, 2. usque ad c. 9, 10. totus in eo est, ut regno Israel exprobret idololatriam aliaque scelera, ac annunciet excidium et exsilium, in quo autem, ut c. 9, 7—10. addit, probi conservabuntur, atque his promittitur c. 9, 11. restitutio eversae dignitatis regiae in familia Davidis. Quae v. 12—15. sequuntur, pertinent ad tempora post reditum ex captivitate, quibus Idumaeam aliasque regiones occupabunt, quarum incolae superstites religionem Jehovae amplectentur, et cum Hebraeis in unum Dei populum coalescent, uti demum sub Hasmonaeis contigit. Aetas aurea, seu prospera tempora, quae in sequentibus promittuntur, sunt illa omnia secula, quibus Hebraei post exsilium in regione sua habitarunt. — Haec omnia una imagine adumbrantur, quia Prophetae distantiam temporum non discernebant. Ce-

---

quibus significant irruptiones hostium, qui consument fruges et fructus, quos Hebraei ex labore suo exspectabant. Itaque h. l. promittitur immunitas ab irruptionibus hostium, et secura habitatio in patria, quae sub imperio Persarum et Graecorum secuta est.

12) In regione sua, quasi arbores, quae in solo ipsis proprio et apto plantatae, laetae crescunt.

terum Amos, sicuti in vaticiniis hucusque pertractatis observavimus, nullam bellorum in novo regno Davidico mentionem facit; nam acquisitio Edomitarum aliarumque gentium non ad hunc alterum Davidem, sed ad Hasmonaeos spectat. Restitutio eversae dignitatis regiae juncta quidem, ut in aliis vaticiniis, reditui ex captivitate, sed magis vaga et indefinita est, et ex collatione vaticiniorum, quae supra pertractavimus, explicanda et illustranda, cf. Mich. 5, 1—3. Jes. 11, 1—6. Jer. 23, 5. 30, 9. Ezech. 34, 23—24. 37, 24. Id unum notatu dignum est, Amosum sumere, tugurium Davidis fore collapsum, i. e. familiam ejus fore humiliatam aut sceptro prorsus privatam, quod ab aetate Prophetae longo temporis intervallo distabat.

Ps. 89, 29—38.

Vaticiniis modo pertractatis, tum argumento, tum aetate, parallelus est Psalmus 89.; nam auctorem ejus non esse, quem inscriptio praefert, coaevum Davidi Ethanem Ezrachitam, satis constat, et quamquam in constituenda ignoti Psaltis aetate sub judicelis est, haec tamen nostra parum refert; nam sive aetate Hizkiae et Jesaiae, ut mihi quidem videtur, sive aetate Jeremiae et Ezechielis vixerit, prout censet Müntinghe Anmerk. zu den Psalmen S. 145—146.: ad eam temporis periodum pertinet, cujus Prophetas modo excussimus, quibuscum etiam argumentum Psalmi convenit. Psaltes orditur v. 2 — 3. a laude divinae clementiae, cujus mox insigne documentum v. 4 — 5. subjungit, scilicet promissionem per-

petui in familia Davidis throni; hinc v. 6—19. immensam Dei benignitatem et potentiam celebrat, qui quod promisit, praestare potest et praestabit. Redit dein rursus ad illam promissionem, eamque pluribus exponit v. 20—28., et illam throni perpetuitatem v. 29—38 de vera aeternitate explicat. Erumpit demum in querelas de misera nunc familiae Davidis sorte, et precibus concludit, v. 39—52. Illam throni aeternitatem Deus, quem Psaltes loquentem inducit, sequentibus exponit:

Perpetuo conservabo ei (Davidi) gratiam meam, 29
Et foedus meum cum ipso erit stabile. 1)
Nam in aeternum sustinebo progeniem ejus 2), 30
Et thronum ejus sicut dies coeli. 3)
Si dereliquerint posteri ejus legem meam, 31
Et constitutiones meas 4) non observaverint;
Si statuta mea profanaverint, 32

---

1) בְּרִית foedus, auctori hujus Psalmi est promissio, quae foederi inest. — נֶאֱמֶנֶת firmata, firma, stabilis, fidelis; participium VII. ab אמן == أَمِنَ confisus est, أَمُنَ securus fuit, fidem habuit, concredidit, أَمُنَ fidus fuit.

2) Sustinebo, שַׂמְתִּי proprie ponam vel faciam nempe firmum.

3) Dies coeli, i. e., quamdiu coelum persistet, quo explicatur praecedens לָעַד in aeternum.

4) מִשְׁפָּטִים judicia h.l. sunt constitutiones, decreta.

Et praecepta mea non custodiverint :
Virga 5) animadvertam in praevaricationem eorum, 33
Et plagis in iniquitatem eorum;
Ast gratiam meam non retractabo 6), 34
Nec contra veracitatem meam mentiar 7);
Non profanabo foedus meum 8), 35
Nec mutabo eloquium labiorum meorum. 9)
Semel juravi per sanctitatem meam 10): 36

---

5) שֵׁבֶט virga, baculus, sceptrum; h. l., ut Prov. 23, 12., virga venit de miti et paterna castigatione.

6) אָפִיר propr. frangam (IV. a פָּרַר et פּוּר), quod, ut alibi diximus, de violatione et irritatione foederis usurpatur; de amore et gratia alibi non occurrit; codd. 10. et pr. 3. ac Syrus, Chaldaeus et Hieronymus exhibent אָסִיר removebo, ast id ex 1 Paral. 17, 13. huc translatum esse videtur.

7) Beth praef. postulante contextu vertendum est contra, cf. meam Gram. L. H. §. 118. p. 401. nro. 5.

8) Non profanabo, oppositum est v. 32.: si profanaverint.

9) מוֹצָא שְׂפָתַי exitus labiorum meorum, i. e., quod e labiis meis exivit, nempe eloquium, seu promissio.

10) אַחַת una, et etiam semel. Deus per sanctitatem suam, i. e., per seipsum jurat, de quo autem in promisso, quod 2 Sam. 7. 1 Paral.

Si Davidi mentiar: — — 11)
Progenies ejus 12) in aeternum manebit, 37
Et thronus ejus erit coram me sicut coelum,
Firmus erit in aeternum sicut luna, 38
Et sicut testis in nubibus persistens. 13)

---

17. refertur, et hic respicitur, nulla fit mentio; verum promissio divina vim jurisjurandi habet. Ita etiam de foedere, quod memorat auctor carminis, 2 Sam. 7 et 1 Paral. 17. nihil legitur; ast promissio divina et acceptatio Davidis rationem foederis sistit. Sanctitas Dei est ipse Deus quatenus est incomparabilis et summe venerandus.

11) Imprecatio: non sim Deus, reticetur, Num. 14, 23. 1 Sam. 24, 22. Jes. 22. 14. Sensus est: juro, me non mentiri, seu incommutabiliter spondeo.

12) זַרְעוֹ semen ejus est progenies, posteritas, tenens thronum, qui, ut membro sequenti parallelo edicitur, persistet, quamdiu coelum manebit. Ambiguum לְעוֹלָם sequentibus tribus membris, et etiam praecedenti v. 30. de vera aeternitate exponitur.

13) נֶאֱמָן firmus Jes. 22, 23. 25.; persistens, perdurans, stabilis, 1 Sam. 2, 25. 25, 28. 1 Reg. 1, 38. 2 Sam. 7, 16.; fidus, fidelis, Deut. 7, 9. Jes. 49, 7. cf. dicta ad v. 29. Qui hunc testem in nube, seu collective, in nubibus persistentem, vel si mavis, fidum, fidelem, aut veracem, faciunt Deum, non advertunt, parum congruere praecedentia: sicut coelum, sicut luna; et de Deo dictum fuisset potius in coelo,

Argumentum Ps. 89, 29—38.

Quanta est horum verborum de duratione throni Davidici claritas, tanta contra est obscuritas, an perpetua successorum series intelligenda, an vero unus aliquando e familia Davidis in perpetuum regnaturus, sperandus esset, quod ultimum quidem ab ordine rerum humanarum tam longe abest, ut vix cuiquam in mentem venire potuisse videatur; nihilominus in recentioribus vaticiniis, quae supra pertractavimus, vidimus, Prophetas de unico alio Davide, post exilium venturo, exponere, et de successoribus ipsius altum observare silentium, ac Ezechielem c. 37, 25. unico alteri Davidi disertis verbis perpetuum regnum tribuere, ut nec opus sit, ad Mal. 3, 1. Ps, 110, 1.5. Dan. 9, 26. provocare. Sublata ergo fuit per Prophetas illos obscuritas, quam Psaltes reliquit, et quam majorem deprehendemus in ipsa promissione Davidi facta, quam Psaltes adductis sententiis circumloquitur, et mox interpretabimur.

2 Sam. 7, 11—16. coll. 1 Paral. 17, 10—14.

David, devictis hostibus exoptatam pacem nac-

---

quam in nube; qui autem lunam esse volunt hunc testem, immemores sunt, eam jam praecessisse, et adjectum : in nubibus, lunae tribui non posse; rectum itaque viderunt, qui iridem interpretantur, quae in tenuibus nubibus resplendescit, et Gen. 9, 12 — 17. Noacho in signum foederis constituta fuit.

tus, et domum magnifice exstructam incolens, consilium cepit, etiam arcae foederis, utpote throno suppremi regis Jehovae, aedificandi domum, seu sacrum tabernaculum in magnificum templum convertendi. Propheta Nathan, nequaquam adulator regis 2 Sam. 12, 1—14., probat quod rex meditabatur, quia aequum et justum videbatur, 2 Sam. 7, 1—3. 1 Paral. 17, 1—3. Verum paulo post divinitus edoctus, regi refert responsum Jehovae, non ab ipso, sed a filio ejus aedificandam esse hanc domum Jehovae, 2 Sam 7, 4—12. 1 Paral. 17, 4—11.; Jehovam autem Davidi aedificaturum esse domum, i. e., largiturum esse posteritatem tenentem thronum in perpetuum. Verba promissionis sunt:

Sed annunciat tibi Jehova, se tibi facturum 11
esse domum. 1) „Quando completi erunt dies tui, 12
„et dormies apud patres tuos: excitabo post te se-
„men seu filium tuum 2), qui exiverit ex visceribus

---

1) David decreverat, arcae, foederis, throno Jehovae, aedificare domum; Jehova autem ei nuncium mittit, se ipsi facturum domum; lusus in voce בַּיִת domus, quae et aedificium significat, et familiam, de qua domus mox in sequentibus explicatur.

2) זֶרַע semen, est progenies, posteritas, proprie collectivum posteri, attamen de unico etiam filio usurpatur; nostro loco, ubi regnum et thronus in perpetuum promittitur, de longa posterorum serie intelligendum est, sicut David ipse in actio-

„tuis 3), et firmum reddam regnum ejus. Ipse 13
„aedificabit domum nomini meo 4), et firmabo
„thronum regni ejus in perpetuum. Ego ero ei
„pater, et ipse erit mihi filius, quem, si per-
„verse egerit 5), castigabo virga humana et pla-
„gis humanis 6); gratia autem mea non recedet 15
„7) ab eo, sicut subtraxi ipsam a Saulo, quem

---

ne gratiarum 2 Sam. 17, 19. 1 Paral. 17, 17. explicat: וַתְּדַבֵּר גַּם אֶל־בֵּית עַבְדְּךָ לְמֵרָחוֹק sed etiam longe dissita promisisti domui (i.e. familiae, posteris) servi tui. Ast ubi de aedificatione templi sermo est, solum Salomonem notat.

3) Euphemismus generationis.

4) Nomini meo, i. e., mihi, seu throno meo super arcam foederis.

5) Quem, refertur ad filium, qui dicitur semen seu posteritas, ut David 2 Sam. 17, 19. 1 Paral. 17, 17. exponit, adeoque non de unico Salomone dictum est. — בְּהַעֲוֹתוֹ in perverse agendo ipsum, i. e., cum perverse egerit; IV. ab עָוָה curvus, perversus fuit, perverse egit.

6) Proprie: virga hominum et plagis filiorum hominis, i. e., clementer, non sicut Saulum, ut mox sequitur, nempe: non eum throno privabo.

7) יָסוּר Alexandrinus cum Arabe, Syrus et Vulgatus exprimunt אָסִיר removebo, ut 1 Paral. 17, 13.; quipiam codd. sine sensu אָסוּר, Ps. 89. 34. substitutum legimus אָפִיר, uti supra vidimus.

„removi ante te. 8) Domus tua et regnum tuum subsistet coram te9) in perpetuum, et thronus tuus firmus erit in perpetuum.

Argumentum 2 Sam. 7, 11 — 16.

Hoc divino Prophetae Nathanis nuncio longam seriem posterorum, qui sceptrum retenturi sunt, promitti, nullum relinquitur dubium; et si attentius consideretur, quod dicitur v. 14., semen seu posteros Davidis ob perversam vitae et gubernationis rationem non, ut Saulum, rejiciendos fore a throno: profecto regnum in familia Davidis subsistet, quamdiu coelum, sol, luna et iris erit, ut explicat auctor Psalmi 89, 30. 37—38.; nam etsi idipsum nostro loco non, ut Ps. 89, 30. 37, 38. disertis verbis exprimitur, conditio tamen omnis, quae exceptionem innueret, diserte excluditur.

Non desunt quidem alia nonnulla loca, in quibus aeternitas regni Davidici a conditione rectae vitae et justae gubernationis suspenditur. Ipse David, morti proximus, 1 Reg. 2, 3—4. hortatur successorem Sa-

---

8) מִלְּפָנֶיךָ ante te; cod. Kenn. 474., Alexandrinus cum Arabe, Syrus et Vulgatus מִלְּפָנַי coram me; verum correctio est, quae ex eo descendit, quod reges Hebraeorum coram Jehova sedere dicuntur.

9) Auctor Paralipomenon L. I. 17, 14. sensum exprimit verbis: et stabiliam eum in domo mea (populo Israel), et in regno meo in perpetuum.

lomonem ad custodienda Dei mandata, ut Jehova opere compleat promissionem, quam refert his verbis: „si filii tui (posteri) custodierint viam suam, ut „ambulent in veritate (in vera religione) ex toto cor„de et ex tota anima sua —: non deficiet tibi vir su„per throno Israelitarum." Hoc ipsum dictum patris Davidis filius repetit Salomo *1* Reg. 8, *25*. *2* Paral. *6*, *16*. in precibus, quas in dedicatione templi fudit. Atque ita canit etiam eadem aetate *) auctor Ps. *132*, *11—12*. : „Juravit Jehova Davidi veritatem, a qua „non recedet: de fructu ventris tui ponam super „thronum tuum; si custodierint filii (posteri) tui „foedus meum et doctrinas meas, quas eos docebo: „filii eorum in sempiternum, sedebunt super thronum „tuum." — Ast in patris adhortatione ad custodienda divina mandata 1 Reg. 2, 3—4., prorsus conveniens fuit, conditionem rectae rationis vivendi et regnandi memorare, quae ad bonum, faustum felixque regnum pertinebat; absurdum enim fuisset dicere ad Salomonem, regnum adeuntem: „thronum tenebis, sive bene, sive male egeris." — Ita etiam Salomo preces in dedicatione templi publice fundens 1 Reg. 8, 25. 2. 2 Paral. *6*, 16., ubi aliunde non refert nisi illa ultima verba Davidis, non potuit promissionem divinam sine

---

*) Psalmum 132 exaratum fuisse ad dedicationem templi, liquet ex v. 8, ubi commemoratur arca foederis in templum transferenda; falluntur igitur, qui hoc carmen rejiciunt in aetatem post exsilium, quando arca foederis dudum perierat, et ad capiendam in templo sedem invitari non poterat.

conditione illa referre in hunc modum: „si posteri „tui mandata mea neglexerint: castigabo eos modo pa„terno, non autem eos, ut Saulum, rejiciam;" id enim in ore regis, publice orantis, absonum fuisset, et vix non occultam propensionem in vetitum prodidisset, cum preces e contrario animum emendare et in bono firmare debeant, ut quae id non praestant, potius blasphemiae quam preces censendae sint; addam etiam illud, Salomonem in precibus utique non de alio quam de felici regno loqui potuisse, ad quod custodiam divinorum mandatorum necessariam esse, promissio illa 2 Sam. 7, 14. diserte edixit. — Denique auctor Psalmi 132., arcae translationem in templum canens, et regem Salomonem per obliquum de observatione legis, ut felix fortunatumque esset regnum ejus, monens, promissionem non potuit referre absolutam et a nulla conditione pendentem; ineptum profecto et consilio monendi contrarium fuisset canere: „jura„vit Jehova Davidi; posteri tui, etsi scelesti et injusti „ac idololatrae fuerint, sedebunt super thronum tuum „in sempiternum." Si itaque his locis divina promissio, quae erat absoluta, a conditione suspenditur: manifestum tamen est, tempus, substratam materiam, genus orationis et finem loquentis non admisisse, ut conditio regni felicis omitteretur, quam aliud agens auctor Psalm. 89, 31—34., siouti etiam Nathan in promissione 2 Sam. 7, 14., disertis verbis excludit.

Gen. 49, 8—10.

Qui adstruunt, caput 49. Geneseos non ante

aetatem Davidis, per quem sceptrum ad tribum Juda delatum est, fuisse exaratum, fundamentum sententiae locant in lubrico admodum atque instabili loco, nulla nempe esse aut esse posse talia, qualia essent Gen. c. 49 scripta, vera vaticinia, quod non est idoneis argumentis demonstratum, nec demonstrari potest. Quae alia argumenta recentioris aetatis adducuntur, sunt ejus generis, ut emendicata esse adpareat, prout vel ex libello recentissimi ac Davidi infensissimi adversarii Joh. Christoph. Friderich Segen Jacobs Breslau 1811 liquet. Argumenta ejus singula confutare, parum negotii esset, si locus admitteret. Suffecerit monere, linguam Hebraeam et poësim hujus capitis ab aetate Davidis et Salomonis prorsus esse alienam: benedictionem Josephi, imperante tribu Juda, non facile sisti potuisse tam eminentem v. 22—26.; nec potuisse dispersionem inter posteros Jacobi, v. 7., Simoni, et inprimis Levi in poenam deputari; nam si quis id post Mosen scripsisset, se risui omnium propinasset; tribus enim Levi a Mose tanta praerogativa ornata fuit, ut mox invidiam omnium reliquarum tribuum excitarit, Num. 16, 1—3. 12—17. coll. 17, 1—11., et dispersio, 42 urbibus compensata Num, 35, 1—8., poenae rationem adeo amisit, ut in maximum Levitarum commodum cesserit. Hinc jam Deut. 33, 8—10. de hac tribu non nisi honorifica canuntur. Praeterea observandum est, v. 7. solum edici, hos duos fratres aut eorum posteros a se invicem separandos esse, ne colludentes rursus tam nefaria consilia ineant, qualia Gen. 34, 6—31. inieniert, et Gen. 49, v. 5—6. Jacobus detestatur. —

Verum haec disputatio nunc quidem et nostro hoc loco pertractanda non est, quo sensum duntaxat commatis v. 8 10. investigamus, quem David 1 Paral. 28, 4., et auctores Ps. 60, 9 et 108, 9. 78, 67—68. respiciunt; promissionem tamen Messiae multo obscuriorem, magis vagam et minus definitam, quam 2 Sam. 7, 13—16. et 1 Paral. 17, 13—14., reperiemus.

Gen. 49, 8.

יְהוּדָה אַתָּה יוֹדוּךָ אַחֶיךָ tu, es Juda (laus vel laudabilis), te laudabunt fratres tui. — יוֹדוּךָ laudabunt te, alludit ad notionem nominis יְהוּדָה laus, gratiarum actio; nomen derivatum ab Aor. II. formae IV. יְהוֹדֶה, pro יוֹדֶה Neh. 11, 17., sicut תּוֹדָה, laus, est a תְּהוֹדֶה laudabis. Lea mater Judae, post partum dixit Gen. 29,35.: הַפַּעַם אוֹדֶה אֶת יי hac vice, seu nunc laudo Jehovam, et hinc proli nomen יְהוּדָה, laus, imposuit. Sensus est: ut primogenitum suspicient te fratres tui.

יָדְךָ בְּעֹרֶף אֹיְבֶיךָ manus tua (erit) in cervice hostium tuorum, i. e., hostibus instabis et praevalebis. — עֹרֶף cervix, conf. أعرف longa cervice praeditus, jubatus; hinc denominativum עָרַף cervicem fregit, alias stillavit Deut. 32, 2. 33, 28. — Tribus Juda prima erat in acie Num. 2, 3—9. 10, 14. Jud. 1, 1 — 3. 20, 18.

יִשְׁתַּחֲווּ לְךָ בְּנֵי אָבִיךָ adorabunt te (coram te venerabundi se inclinabunt) filii patris tui; respondet praecedenti membro: laudabunt te etc.

— Fratres tui, i. e., fratres germani; filii patris tui, i. e., fratres ex aliis patris uxoribus nati, sicut noverca dicitur uxor patris. — הִשְׁתַּחֲוָה proprie se inclinare honoris exhibendi caussa, cf. meam Gramm. L. H. §. 53. p. 170. Iisdem fere verbis Isaac Gen. 27, 29. Jacobo contulit jus primogeniti, cf. Gen. 25, 30. 34.

Gen. 49, 9.

גּוּר אַרְיֵה יְהוּדָה catulus leonis est Juda. — גּוּר, Syr. גּוּרִיא = جَرْوٌ catulus generatim, sed Hebraeis duntaxat de juvene leone dicitur. — אַרְיֵה, Syr. אַרְיָא, leo: Fortitudo bellica indicatur, quae praecedenti membro expressa erat: manus tua erit in cervice etc. Ceterum leo, cui comparatur Juda, est rex ferarum et symbolum regis; videtur itaque simul significari, familiam vel tribum Judam aliquando fore regiam.

מִטֶּרֶף בְּנִי עָלִיתָ de praeda, fili mi! cresces — עָלָה ascendit, etcrevit = غَلَّ in altum excrevit herba, et magni (alti) pretii fuit, cf. Gen. 40, 10. Ezech. 19, 3. Jes. 34, 13. 5, 6. In futuro vertendum esse, contextus et substrata materia monet. Leunculus Juda ex praeda crescet et fiet adultus et magnus leo, id est: per victorias ab hostibus reportandas magnam potentiam consequetur.

כָּרַע רָבַץ כְּאַרְיֵה וּכְלָבִיא procumbet, cubabit ut leo et ut leaena. Futurum rursus contextus et materia substrata flagitat. — כָּרַע in genua procubuit, ut leo et alia plura animalia pro-

cubitura solent; Syr. ܟܪܥܐ crus, tibia; Arab. كرع os admovit aquae sorpsitque eam non ex manu aut vase, quod fit procumbendo in genua, et se inclinando, cf. Jud. 7, 5—6. 1 Reg. 8, 54. 2 Reg. 1, 13. — רָבַץ, Aram. רבע cubuit, procubuit; ربض cubuit complicatis pedibus, pectori incubuit leo, canis, avis. — לָבִיא, et Ezech. 19, 2. לְבִיאָה = لبوة, لبوة, لبية leaena, quae leone quidem minor, sed ipso, quando catulos alit, multo saevior est. Leo satur cubat tranquillus, et neminem laedit, nisi provocetur, quod autem omnes sollicite cavent. Plinius VII. 19. cf. meam Hermeneutic. §. 34. p. 103. in nota. Hinc additur; מִי יְקִימֶנּוּ quis faciet surgere eum? i. e., nullus eum excitabit, provocabit. Judam, victoriis relatis potentem, offendere omnes gentes cavebunt, sicut aetate Davidis et Salomonis reapse contigit. Expressiones hae occurrunt etiam de integro populo Hebraico sub Mose in vaticinio Bileami Num. 24, 9.; videntur itaque hae phrases illo antiquo aevo multum tritae fuisse, et fere rationem proverbii induisse.

Gen. 49, 10.

לֹא יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה non recedet sceptrum a Juda. — Vocem שֵׁבֶט baculus, notione honorifica usurpari, integra orationis series clamat; et sceptrum indicari, docet praecedens comparatio cum leone, qui consuetum orientalibus est sym-

bolum regis. Hinc Alexandrinus et Theodotio, sublato tropo, vertunt ἀρχων, Symmachus ἐξουσία, Aquila σκηπτρον, Onkelos עָבֵד שׁוּלְטָן exercens dominationem, Jonathan et Jerosolymitanus מַלְכִין reges.

וּמְחֹקֵק et decernens, seu legislator, rector, dux; occurrit de Deo Jes. 33, 22., de dominante tribu Juda Ps. 60, 9. 108, 9., de ducibus seu rectoribus Deut. 33, 21. Jud. 5, 14., et verbum חֹקְקֵי usurpatur de principibus decernentibus jus et justitiam Prov. 5, 15.; nec alia notio subest Num. 21, 18., ubi בִּמְחֹקֵק בְּמִשְׁעֲנֹתָם vertendum: (effoderunt eum generosi e populo) cum (Mose) legislatore baculis suis; nulla igitur est ratio, qua vertendum esse suadeatur: vexillum; nec voces محقوق et حقيق, quas quipiam conferunt, significant vexillum, sed aptum, dignum; حقيقة quidem praeter veritatem, etiam id quod quis tueri debet, pec. vexillum denotat; verum vexilli notio loco allegato non facile aptari potest, et nostro loco incondita est phrasis, vexillum non recessurum de inter pedes ejus. Ceterum ad hunc locum respicit David 1 Paral. 28, 4., et auctor Ps. 60, 9. 108, 9.

מִבֵּין רַגְלָיו de inter pedes ejus, more poëtarum elliptice, pro אֲשֶׁר יָצָא מִבֵּין רַגְלָיו qui exiit de inter pedes ejus. Euphemismus generationis, qui interpretibus crucem fixit, etsi clarus adest locus parallelus Deut. 28, 57., ubi הַיּוֹצֵאת מִבֵּין רַגְלֶיהָ quae exiit de inter pedes ejus, permutatur

eum אֲשֶׁר תֵּלֵד quem, vel quos genuit. Locus quidem allegatus de foemina agit; ast similes phrases etiam de viris usurpantur, ut de Jacobo Gen. 35, 11.: וּמְלָכִים מֵחֲלָצֶיךָ יֵצֵאוּ et reges ex lumbis tuis exibunt; Exod. 1, 4.: יֹצְאֵי יֶרֶךְ יַעֲקֹב exeuntes (qui exierunt) ex femore Jacobi; de Davide 2 Sam. 7, 12.: יֵצֵא מִמֵּעֶיךָ exibit ex visceribus tuis, cf. Gen. 15, 4. 46, 26. 1 Reg. 8, 19. 2 Paral. 6, 9. 2 Sam. 16, 11. Jud. 8, 30. Atque hunc sensum expressit Onkelos et Jerosolymitanus מִבְּנֵי בְנוֹהִי, a filiis filiorum ejus; Jonathan: מִזַּרְעֵיהּ a semine seu posteritate ejus; versio Persica: e medio filiorum ejus. Lectio Samaritani textus et versionis: דִּגְלִין de vexillis ejus, correctio est, velut in cod. de Rossi 223. lapsus librarii; quare merito rejicitur.

עַד כִּי־יָבֹא donec veniat. Qui עַד trahunt ad praecedens membrum (non recedet - - - - in aeternum, quia veniet) turbant parallelismum et aequalitatem membrorum, praeterquam quod עַד sequente כִּי nunquam ita usurpatur. Stange in Symmiktis p. 231. utramque particulam vertit quia, ratione adjecta, quod particulae hujus generis compositae, plerumque vim solius ultimae retinent; verum ipsas reapse plerumque utramque significationem suam conservare, patebit inspicienti Noldii Concordantias particularum, cf. Gen. 22, 5. 26, 13. 41. 49. 15, 16. 44, 28. Num. 14, 19. 1 Sam. 1, 16. 7, 12. Exod. 7, 16. Jos. 17, 14. Neh. 2, 16. 2 Sam. 23, 10. 2 Paral. 26, 15. et a. l. Quare, ubi particula utraque

significare potest, ab usu loquendi recedendum non est. Alia autem est recta observatio, hanc expressionem non semper figere terminum iis, quae sequuntur, sed idem valere ac usque ad --- et etiam postea, ut non excludatur sequens, sicut Gene. 26, 13. 41, 49. 2 Paral. 26, 15. An autem id nostro etiam loco obtineat, non est ita liquidum, ut multi censent; in serie orationis nihil reperitur, quod hanc notionis extensionem postulet. Ceterum בוא de hominibus prodituris usurpari, liquet ex Ps. 71, 18. Eccl. 1, 4.

שִׁילֹה Tractatio critica, quam de hac voce, Germ. Introductioni in SS. LL. V. F. P. I. p. 507 — 520. annexui, nunc retractanda est, quia ab eo tempore (1802) aliae motae sunt difficultates, quae excutiendae veniunt.

Primum quidem observandum est, falli Stangeum, qui in Symmiktis p. 238 — 241. contendit, nullam vocis esse variam lectionem, sed diversam tantum orthographiam, שִׁילֹה et שִׁלֹה; nam, ut nunc de aliis antiquis interpretibus taceamus, Alexandrinus, qui in Pentateucho magnam linguae notitiam et eruditionem prodit, et Aquila, qui literae tenacissime inhaeret, exprimunt שֶׁלֹּה, quod etsi solis vocalibus a שִׁלֹה differt, reapse tamen est aliud vocabulum et alia lectio. Tertiam autem varietatem שָׁלֻחַ ex versione Vulgata frustra fingi, facile damus; nam Hieronymus versionem suam: qui mittendus est, vel ex שָׁלֹה extorsit, vel errore oculorum, de quorum caligatione ipse conqueritur, שלח pro שלה

legit, sicut etiam Gen. 10, 24. שלה cum שלח confudit, cum scribit: sela, ut ei (שֶׁלֹּה), vel dimissio (שְׁלַח) Vide opp. Hieronymi T. III. col. 842. Jam de duabus lectionibus videamus, quid statuendum sit.

שִׁילֹה

Lectio longe plurimorum codicum et omnium editionum, excepta sola Sanctandreana, adeoque fere omnium testium recentiorum est; nec interpretes, qui eam certe legerunt, sunt antiquiores.

I. Graecus Venetus, ab Ammonio editus, non antiquior seculo XI., qui exhibet Σιλων, cf. Michaelis Orient. Biblioth. XVI. 185 — 190.

II. Arabs, ab Erpenio editus, seculi XIII. interpres, qui vocem retinet شيله, reliquis ergo recentioribus consentit.

III. Adhuc recentior auctor commentarii Samaritani, qui שילה, spreta analogia grammatica, derivat a שלל, et exponit ademtio juris, cf. Schnurrer in Eichhorn's Repertor. XVI. 168. et de Sacy Memoire sur la version Arabe des Livres de Moïse à l' usage des Samaritains. Paris 1809. p. 41.

IV. Pseudojonathan, seculi VII, vel si placet, antiquior paraphrastes, saltem dubius est; nam versionem hujus vocis: זְעֵיר בְּנוֹי, multo facilius aut saltem non minus facile ex שֶׁלֹּה, qui ei, nempe suppleta ellipsi, nasciturus est, quam ex שִׁילֹה elicere, vel potius extorquere potuit; majori enim molimine et pluribus ambagibus opus fuit, ut שילה compararet et confunderet cum שִׁלְיָה, pro quo etiam שִׁיל et שִׁל

dictum fuisse gratis sumeret, ut inde explicaret שִׁילֹה vel שִׁלֹה proles ejus, quod ipsum nondum est זְעִיר בָּנָיו (natu) minimus filiorum ejus.

Lectio itaque שִׁילֹה; pro qua nullus certus, seculo undecimo antiquior testis deponit, qua ratione critico probari possit, difficulter perspicitur. Accedit autem, hanc lectionem vix admittere interpretationem, quae orationi et substratae materiae congruat, ut mox ostendemus.

Qui שִׁילֹה interpretantur filius ejus, et vocem confundunt cum שִׁלְיָה proles, vel secundina, suspectum artificium produnt; nam Hebraeis prorsus ignota vox est שִׁיל, filius, unde שִׁלְיָה sit foemininum filia; nec derivatio commoda ostendi potest; nam quae Stangeus in Symmiktis p. 252. profert hujus formae exempla, non faciunt ad rem; quippe vel ad fictas radices referuntur, ut סִיוָן, נִיסָן, quorum radices, prorsus ignotae, pro libitu finguntur, et nomina videntur esse exotica; vel minus recta est derivatio, ut קִיצוֹן extremus, exterior, notionem quidem mutuatur a קָצָה abscidit; sed formam habet a קוּץ fastidire, quae duo verba permutantur; nullum autem exstat Verbum שׁוּל, quocum שָׁלָה, radix vocis שִׁלְיָה permutari posset. Adest quidem קִיטוֹר a קָטַר, et צִינֹק a צָנַק; primum quidem satis frequens, alterum autem duntaxat Jer. 29, 26.; verum neutrum significatione formali convenit; illud enim est fumus, hoc autem carcer, ut juxta hanc analogiam שִׁיל deberet esse tranquillitas.

M

Tellerus, quem secutus est Rosenmüllerus in Scholiis in Pent., existimat, esse nomen urbis Silo, quod tamen in textu inpresso nunquam, in codicibus autem tantum duobus vel tribus שִׁילֹה, in aliis omnibus, ut in textu typis excuso, constanter שִׁלֹה vel שִׁלֹן legitur. — Neque urbs Silo ullam habet ad tribum Juda relationem, a cujus limitibus septemtrionalibus, teste Eusebio et Hieronymo, 24 milliaribus Romanis (fere 5 mill. Germ.) distabat, cf. Relandi Palaestin. p. 371 et 377 ed. Norimberg. 1716. — Denique nullatenus conciliari potest cum sequenti mox obedientia populorum urbs Silo, ubi nec David, nec Salomo, ad quos sententiam referunt, rex omnium tribuum inauguratus est, cf. 2 Sam. 5, 1 — 3. 1 Paral. 11, 1 — 3. 12, 23. 1 Reg. 1, 33 — 38. — Si autem cuiquam in mentem venit, sententiam referre ad sequentem v. 11 — 12. descriptionem fertilitatis regionis Judae: redit observatio, Siluntem ab hac fuisse longe dissitam. — Id viderunt omnes antiquiores interpretes, quorum nullus de hac, alioquin celeberrima urbe cogitavit.

Ante dimidium fere seculum celebris erat explicatio hujus vocis tranquillator, quae nostris diebus postliminio revocata est; verum si שִׁילֹה a שָׁלָה descenderet, non posset esse nomen agentis, prout ipse etiam Stangeus nullum protulit hujus formae et significationis exemplum; nam קִיצוֹן est extremus, שִׁיבָה est reditus a שׁוּב (nequaquam captivitas, a שָׁבָה); קִיטוֹר ut mox diximus, est fumus, et צִינֹק carcer; k'ri אִיתוֹן Ezech. 40, 14., quod Stan-

geus p. 252. h. e. profert, et pro אתון positum censet, dubio procul est falsa lectio; nam הַשַּׁעַר הָאִיתוֹן status constructus cum articulo: porta ingressus, nimis invenuste peccat in Grammaticam, a quo vitio K'thib immune est: הַשַּׁעַר הַיְאָתוֹן porta, qua ingrediuntur.

Michaelis (Alt. Or. Biblioth. IX. S. 228.) contulit سَيْل, quod vertit inundatio, quae notio occurrit in Abulfedae Annal. Moslem. III. 392; verum, sive ad Nebucadnezarem, sive ad Judam referatur, abnormis est phrasis, ut inundationi sit populorum obedientia, quae mox sequitur.

שִׁלֹה

Haec est lectio omnium antiquorum, qui sec. XI. praecesserunt, non paucis recentioribus quoque testibus suffulta.

I. Legitur in omnibus exemplaribus Samaritanis, tum inpressis, tum manuscriptis, non tantum quae in Europam translata sunt, sed etiam quae in Asia habentur, prout Sichemitae in Epist. ad Hiob Ludolph. in Eichhorn's Repertor. XIII S. 281. testantur. Atque etiam olim ita lectum fuisse, testis est versio Samaritana, seculo fortasse IV. exarata. Puncta quidem, quae Samaritani non habent, desunt; ast non שִׁלָּה, sed שֶׁלֹּה, qui ipsi, vel quod ipsi, a Samaritanis enunciari, docent variae lectiones, vel potius correctiones, et explicationes vocis in codicibus versionis Arabicae in usum Samaritanorum, primo dimidio seculi XIII. ab Abu Said exarata; nam, referente Cl.

de Sacy (in Memoire sur la Version Arabe des Livres de Moïse 1809 p. 40 in T. IV. des Memoires de l'Academie des Inscriptions et de belles lettres), vera quidem lectio est شلة, quae reperitur in cod. Lugdunensi, et dubio procul exstabat etiam in cod. Taylori seu secundo Oxfordiensi, quia spatium tantum has tres literas capere potest; rescriptum autem fuit ejus loco الذى له, et in margine الملك, quod spatium in textu non capiebat: ille cujus est regnum, quod est שֶׁלֹּה cujus est, suppleta ellipsi regnum; ex שלה autem extundi non poterat. Similis explicatio vocis שֶׁלֹּה intrusa est in codicem Barberinum مستحقه, qui eo dignus est, vel qui ipsum meruit, quod itidem ex שֶׁלֹּה extorqueri non potuit. In codice Usserii seu primo Oxfordiensi, et in secundo et quarto Parisiensi legitur quidem alia, ex Dogmatica Samaritanorum petita explicatio: سُلَيْمَان, Salomo, quod nomen autem in secundo codice Parisiensi erasum, et rescriptum est من له الملك ille cujus est regnum. Cf. De Sacy c. l. p. 5 — 9. Ex his liquet, Samaritanos pronunciationem שֶׁלֹּה prorsus ignorare,

II. Versio Alexandrina, trecentis fere annis ante Christum exarata, in antiquissimis codicibus, Vaticano et Cottiniano, exhibet τα αποκειμενα αυτῳ, et in codice Oxfordiensi seu Alexandrino ὡ αποκειται, quod in hac versione olim quoque reperit auctor antiquae versionis Latinae, ex qua Hieronymus in Ezech. L. V. c. 17. refert: cui repositum est; ita Alexandrinum vertisse contendit quoque Justinus in Apo-

logia majori §. 32, et in Dial. cum Tryphone §. 52. et 120, ubi quidem etiam adducit, sed non probat alteram lectionem τα αποκειμενα αυτῳ, uti etiam Epiphanius lectionem utramque allegat Haeres. 20., et aliam ignorat. Neutra autem lectio elici potuit ex שִׁילֹה, sed ex שֶׁלֹּה utraque prono fluit alveo. Cf. Eichhorn's Repert. II. 95. IV. 20.

III. Seculo secundo post Christum Aquila et Symmachus vertunt ῷ αποκειται, et Theodotio τα αποκειμενα αυτῳ. Eusebius in Demonstr. Evang. L. VIII. 370. in allegatione Aquilae non exhibet quidem ῷ αποκειται, sed omissio oscitantiae librariorum debetur; nam μικρολογος hic interpres, praesertim vigente tunc lite cum Christianis, profecto non omisit id, in quo cardo controversiae vertebatur. — Quod Stangeus contendit, hos interpretes secutos esse Alexandrinum, probari nequit; sed esto, attamen Aquila tenacissime inhaeret literae, Theodotio versionem Alexandrinam emendavit, et Symmachus sensum expressit; itaque Aquila ῷ αποκειται literae, et Symmachus sensui consentire, et Theodotio τα αποκειμενα αυτῳ non indigere emendatione deprehendit. Eodem seculo Justinus, ut supra diximus, utramque lectionem adducit, et in Dial. cum Tryph. §. 120. diserte vindicat lectionem ῷ αποκειται, sed nec ipse, probabiliter linguae Hebraicae non prorsus ignarus, nec Judaeus aliam lectionem, aut pronunciationem שִׁילֹה vel שֶׁלֹּה novit.

IV. Eodem secundo post Christum seculo Onkelos, qui Graecam versionem Alexandrinam nec intellexit, nec consulere potuit, vertit: מְשִׁיחָא דְּדִילֵהּ

הִיא מַלְכוּתָא Messias, cujus est regnum, quod nec ex שִׁילֹה neque ex שֶׁלֹּה extundi potuit, et qui non videt esse versionem שֶׁלֹּה, soli lucenti oculos claudit.

V. Eodem seculo secundo, aut si mavis tertio, Syrus vertit: מַן דִּילֵה הִי, vel, ut ab Ephraemo allegatur: הוּ דְּדִילֵה ille cujus est. Hic interpres Onkelosum, cui coaevus erat, aut quem saltem certe non novit, inspicere non potuit; et tamen cum eo convenit; si autem Alexandrinum consuluit, ipsum tamen non est secutus, sed Hebraeum שֶׁלֹּה accuratius expressit.

VI. Seculo quarto ad finem vergente supra memoratus Epiphanius (Haeres. 20 p. 45 ed. Petav.) refert, Herodianos putasse, Gen. 49, 10. Herodem M., ad quem, origine Idumaeum, sceptrum a Judaeis translatum fuit, praedictum fuisse, et ipsum esse illum, ῷ ἀπόκειται, et ad quem spectant τα αποκειμενα αυτῳ. Epiphanius, qui linguam Hebraicam, utpote Judaeo-Christianus, profecto non penitus ignoravit, nequaquam tamen respondet, textum Hebraicum habere שִׁילֹה, quod sit urbs Silo, vel filius ejus, vel tranquillator, sed reponit, Herodi repugnare quod sequitur: και αυτος προσδοκια εθνων. Cf. Michaelis Alt. Or. Biblioth. IX. S. 217.

VII. In Thalmude quidem, ut Stangeus, nescio qua auctoritate, dicit, plerumque allegatur שילה; verum an hanc lectionem etiam codices Thalmudis manu scripti exhibeant, et an non ab editoribus שלה in שילה mutatum fuerit, quaestio est non contem-

nends, inprimis, cum Coccejus (in duobus Titul. Thalmudis Sanhedrin et Maccoth p. 359.) testetur, in Sanhedrin c. 11. allegatum esse שלה.

VIII. Thargum Jerosolymitanum h. l. a Pseudojonathane, quem (non vero Onkelosum, ut Staugeus ex male intellecto Michaelis Alt. Or. Bibl. IX. 217. concludit) alias fere ubique presse sequitur, recedit, et vertit cum Onkeloso: מַלכָא מְשִׁיחָא דְדִילֵהּ הִיא מַלכוּתָא rex Messias, cujus est regnum; unde adparet, aetate hujus compilatoris, ut antiquiori quoque aevo, lectum fuisse שֶׁלֹּה, et Pseudojonathanem, ut supra observavimus, ex hac lectione versionem זְעִיר, בְּנוֹי (natu) minimus filiorum ejus, procudisse.

IX. Neque seculo dimidiante X Saadias Haggaon in codicibus Aegypti, unde oriundus erat, et in codicibus Babylonis seu Seleuciae, ubi Academiae praefectus fuit, aliam lectionem invenit; vertit enim الذي هو له, ille cujus est, quae verba exhibent non solum Polyglotta Parisiensia et Londinensia, sed etiam editio Constantinopolitana. — Quod Stangeus asserit, Pentateuchi versionem Arabicam Polyglottorum non manasse ex textu Hebraico, sed ex versione Alexandrina, dudum explosum est; constat enim, esse versionem Saadiae.

X. שלה sine punctis, vel cum punctis שִׁלֹה legitur adhucdum in 40 codicibus seculi XIII. et XIV., quos recensuit de Rossi in Var. Lect. V. T. et in Appendice, unde in meam Biblior. Hebr. editionem transtuli, et puncta שֶׁלֹּה, auctoritate antiquiorum versionum et Rabbinorum, qui explicant cujus est,

subjeci, quae nunc, non adjecisse optarem, quia video, quospiam mihi tribuere sententiam, haec puncta in codicibus adesse. Notatu dignum est, seculi XIII. codices duos exhibere k'ri שלן; unum cod, habere שילה mutatum in שלה; tres e contrario שלה mutatum in שילה, et unum שלן mutatum in שילה; atque seculi XIV codicem unum sistere שלן cum k'ri שילה, et ejusdem seculi unum et seculi XV. unum שלן mutatum in שילה, cf. de Rossi Lect. Var. V. T. T. IV. Append. p. 217. et Schol. Critic. seu Supplem. ad Var. Lect. p. 8. Hinc adparet, seculo praesertim XIII. et XIV. lectionem שילה fuisse in codicibus propagatam.

XI. Ita etiam in Medrasch Echa Rabbadi p. 58. ed. Ven. dicitur שלה k'thib, et שילה k'ri; et contra in Matthanoth Cheuna apud Norzium שלה k'thib, et שלן k'ri.; R. Nathan in Concordant. Hebr., et R. David in Zemach David seu Lexico Hebr. Ital. allegant שלה. Imo auctor Commentarii Bereschith Rabba apud Salom. Ben Melech, Tanchuma, auctor Lexic. manuscr. de Rossi pro 637., et R. Salomo Jarchi seu Raschi (in codd. manuscriptis et in editionibus) non solum allegant שלה, sed etiam explicant; מִי שֶׁמְּלוּכָה שֶׁלֹּה ille cujus est regnum, de Rossi V. L. V. T. T. IV. Append. p. 218.

Stangeus in Symmiktis omnes hos testes Judaeos ex eo impugnat, quod versio Onkelosi et paraphrastis Jerosolymitani דְּדִילֵהּ הִיא מַלְכוּתָא, ac שֶׁלּוֹ Rabbinorum, non sit explicatio vocis שֶׁלֹּה, sed circumlocutio, aut nomen Messiae; et provocat ad Bux-

torfium, qui in Anticritica scribit: „quae sequuntur (adducta mox ex Onkeloso verba) vel honoris caussa „erga Messiam addita sunt, sicuti vulgo eum מַלְכָּא מְשִׁיחָא„ , regem Messiam, vocant, vel aliam et „arcanam vocis ejusdem mysticae explicationem continent, desumtam ex arte cabbalistica נוטריקון, „qua alluditur in שִׁילֹה ad שֶׁלוֹ, quasi nempe שִׁילֹה „ideo dicatur שֶׁלוֹ, quia ejus sit regnum? „vel ex ראשי תיבת ratione scribendi per „abbreviaturas, ac si שִׁילֹה diceretur Messias qua„si שֶׁיֵּשׁ לוֹ הַמַּלְכוּת, cujus sit regnum? etc." — Quis non videt fluctuationem et artificium Buxtorfii, ut salvet palladium שִׁילֹה? Non id quaeritur, sitne versio Onkelosi et שֶׁלוֹ Rabbinorum circumlocutio, et שִׁילֹה nomen Messiae, sed unde et illa versio, vel circumlocutio, aut hoc nomen, ortum trahat; neutrum profecto ex שִׁילֹה extorqueri potuit, sed manifeste utrumque ex lectione שֶׁלֹּה ortum est, quod omnes usque ad seculum undecimam testes unanimes referunt. Violentum est, quod Buxtorfius ex Kabbala adduxit, nec ullo Kabbalae testimonio comprobavit, adeoque mera inanis est conjectatio; et quid? dicetne Buxtorfius et Stangeus, jam interpretem Alexandrinum suam versionem his incertis artificiis Kabbalisticis ex שִׁילֹה extorsisse? — aut etiam Samaritanos ex hoc turbido fonte hausisse? — Manet itaque ratum, illos antiquos legisse שֶׁלֹּה, et ex hac antiqua lectione descendere codicum manuscriptorum et Rabbinorum שלה et שלו

XII. Succurrit autem testis nostrae lectionis multo antiquior, Ezechiel, qui, ut supra vidimus, c. 21, 32. (al. 27.) nostrum locum respiciens, manifeste שִׁלֹה circumloquitur, ubi Deum inducit, eversionem regni Juda annunciantem, et eloquium his verbis concludentem: עַד־בֹּא אֲשֶׁר לוֹ הַמִּשְׁפָּט וּנְתַתִּיו *usque ad adventum ejus* (donec veniat), *cujus est regnum, et dabo ei*, ubi אֲשֶׁר לוֹ est nostrum שִׁלֹה; et ellipsis nostri loci שֵׁבֶט suppletur permutatum cum הַמִּשְׁפָּט, quod idem valet; atque membrum in nostro loco sequens: *et ipsi sit obedientia populorum*, exprimitur per וּנְתַתִּיו *et dabo ei.* Nullus dubito, locum hunc jam antiquis interpretibus lucem praebuisse; Onkelosum saltem et Jerosolymitanum paraphrastem hinc suum דְּדִילֵהּ הִיא מַלְכוּתָא hausisse, ipse quoque Rosenmüllerus (Schol. in Ezech. T. II. p. 63), qui alioquin in alia omnia abit, non diffitetur.

His accedunt argumenta interna; nam I. vidimus supra Nro. X., seculo praesertim XIII. et XIV. שִׁילֹה cum Jod, in codicibus fuisse propagatum; origo autem ipsius ex eo descendit, quod Dagesch forte non raro supplebatur vel indicabatur per insertum Jod, quod porro descriptum, שִׁילֹה punctatum, et, quia Christianis minus favebat, in codicibus propagatum fuit. II. Lectio שִׁילֹה ut supra ostendimus, vix commode explicatur; שִׁלֹה autem non tantum contextui congruentem fundit sensum, sed a parallelismo flagitatur; nam cum praecedentia duo membra: *non recedet sceptrum a Juda, et legislator de poste-*

ris ejus, sint synonyma: oportet, ut sequentia quoque sint synonyma, quod praestat שִׁלֹה: donec veniat cujus est (nempe sceptrum), et ipsi sit obedientia populorum. III. Suffixum Aramaeum He convenit orthographiae hujus carminis; nam mox v. 11. in עִירֹה et סוּתֹה recurrit. Si autem obstare videtur Schin praefixum, quod alias in Pentateucho non occurrit, observandum est, plures esse hujus generis voces, neque tamen ideo suspicionem movent, ut אָוֶן tantum Num. 23, 21.; הֵעִיר duntaxat Deut. 32, 11., פּוּג solum Gen. 44, 26; עָטַף tantum Gen. 30, 24., פִּנָּה solummodo Exod. 27, 2.; פְּלֵיטָה, פלט duntaxat Gen. 32, 8. 48, 7. et Exod. 10. 5., quae voces in posterioribus libris sunt frequentissimae. Dein cogitandum est, loqui h. l., aut loquentem induci Jacobum, qui 20 annos inter Aramaeos exegit, et relativo praefixo Schin, ad imitationem Aramaei praefixi Daleth adsuevit; Moses autem, qui 40 annos inter Arabes vixit, huic praefixo desuevit, ut mirandum non sit, ipsum eo alias non uti, unde non sequitur usitatum non fuisse; nam post centum fere annos in cantico Deborae Jud. 5, 7. recurrit, ut usus ejus in poëmatibus negari non possit. — His argumentis lis de hac voce dirimenda esse nobis quidem videtur; nunc ad interpretationem revertimur.

וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים et ipsi (sit) obedientia populorum. — יִקְּהָה non recurrit nisi Prov. 30, 17. de obedientia matri praestanda, a وَقَهَ obedivit.

Quae v. 11—12. sequitur descriptio regionis fertilis, quam Juda in Canaan occupaturus esset, donec veniret, cujus est sceptrum, non magis cohaeret cum antecedentibus, quam in benedictione Josephi promissio v. 25—26. cum laudatione v. 22—24 nexa est; aliquem tamen nexum nostri loci paulo post annotabimus.

Versio Gen. 49, 8—10.

Tu es Juda (l a u s), te laudabunt fratres tui, 8
Manus tua erit in cervice hostium tuorum;
Inclinabunt se coram te filii patris tui.
Catulus leonis est Juda; 9
De praeda, fili mi! cresces.
Procumbet, cubabit ut leo,
Ut leaena, quis suscitabit eum?
Non recedet sceptrum a Juda, 10
Et legislator a posteris ejus,
Donec veniat, cujus est (sceptrum),
Et ipsi sit obedientia populorum.

Argumentum Gen. 49, 8—10.

Ut hic locus intelligatur, meminisse oportet, duas (praeter sacerdotium familiae, Exod. 24, 5. Num 18, 15—16.) fuisse primogeniti praerogativas: I. duplicem hereditatis portionem Deut. 21, 17.; et II. eminentiam et quasi patriam potestatem inter fratres, cf. Gen. 27, 29. 36. cum 25, 30. 34. et meam Arch. Bib. Germ. Arch. Bibl. Germ. I. Th. II. B. §. 190. S. 283 —284. Has praerogativas Jacobus primogenito suo Rubeni, ob nefarium incestum Gen. 35, 22., ademit Gen. 49, 3—4., ac jus duplicis ex hereditate portionis Gen.

48, 1—7. transtulit in Josephum, cujus duos filios, Manasse et Ephraim, adoptavit, quorum dein posteri ex hac caussa duas tribus constituebant, et duas quoque sortes regionis obtinuerunt. Alterum autem primogeniti jus, scilicet eminentiam et quasi patriam inter fratres potestatem, Jacobus nostro loco Gen. 49, 8—10. transfert in Judam (cf. 1 Paral. 5, 1—2. et Num. 1, 5. 13, 5. ac meam Germ. Bibl. Arch. II. Th. I. B. §. 13. S. 25); et, quia tum Abrahamo Gen. 17, 6. 16., tum ipsi Jacobo Gen. 35, 11., promissi erant reges, ex posteris descensuri, Jacob etiam hanc promissionem Judae assignat, quae aliunde cum eminentia primogeniti cohaerebat; ipsam quoque debellationem hostium, Abrahamo Gen. 22, 17. et Jacobo Gen. 28, 14. promissam, inprimis huic eminenti inter fratres, Judae, attribuit. Hinc Juda demum ubique primas tenuit, cf. Num. 2, 3. 7, 12. 10, 13. Jud. 1, 2. 17. 20, 18., atque hinc orta est illa aemulatio duas Josephi tribus inter et tribum Judae, quae post obitum Salomonis in perniciosum schisma erupit, cf. meam Germ. Bibl. Arch. II. Th. I. B. §. 13, S. 75. Verschuir Dissert. Philol. Exeg. p. 66—84. Michaelis Mosaisch. Recht. I. Th. §. 47.

Observandum porro est, שֵׁבֶט esse vocem ambiguam; non solum enim sceptrum regium, sed etiam baculum illum significare potest, quem divites ad pompam, et magnates in signum potentiae suae gestabant, Gen. 38, 15. Num. 21, 18. cf. Herodot. I. 195. Strabo p. 746. et 783. et Arch. Bibl. Germ. I. Th. II. B. §. 152. S. 141. Ipse etiam baculus pastoralis, quem Moses

Exod. 4, 2. gestabat, demum erat symbolum potentiae ducis; et baculi Num. 17, 2. profecto erant illi, quos principes tribuum in signum eminentiae et potestatis suae gestabant. Quare, cum ante Davidem dici non potuerit, non recessurum a Juda sceptrum regium, quod Juda nondum habebat, neque tamen hoc Jacobi testamentum, ut supra paucis comprobavimus, aetate adeo recenti, quo David e tribu Juda sceptrum tenuit, hoc tenore scribi potuerit: שֵׁבֶט in primo membro v. 10. de baculo, symbolo eminentiae et potestatis generatim, intelligendum est, ut hac ratione in sequenti membro accurate respondeat מְחֹקֵק: non recedet sceptrum eminentiae a Juda, et legislator seu dux a posteris ejus. Quod enim Stangeus contendit: non recedet, idem valere ac obtinebit, nec usu loquendi probari, nec cum sequenti membro: et dux de posteris ejus, conciliari potest. Notione autem sceptri regii שֵׁבֶט elliptice intelligendum est tertio hujus 10 versus membro: donec veniat cujus est intellige: sceptrum regium, cui respondet membrum quartum: et ipsi sit obedientia populorum, non tantum Hebraeorum, sed etiam extraneorum, quorum subjugatio Abrahamo et Jacobo promissa fuit, Gen. 22, 17. 28, 14. Quemadmodum obedientia populorum in membro quarto explicat ellipticum שֵׁבֶט membri tertii de sceptro regio: ita legislator seu dux in membro tertio explicat שֵׁבֶט membri primi de sceptro eminentiae et ducis. Similis lusus verborum ambiguorum non tantum in aliis Bibliorum locis, ut supra a

Sam. 7., 12—13. vidimus, sed etiam in ipso hoc cap. Gen. 49, observatur, ut v. 13—14. יֶתֶר excessus, et תּוֹתַר excellens eris, ac v. 8. יְהוּדָה nomen proprium et laus, cui respondet יוֹדוּךָ laudabunt te; denique v 19. גָּד nomen proprium, ac fortuna, et etiam turma, atque גְּדוּד יְגוּדֶנּוּ וְהוּא יָגֻד עָקֵב turmae invadent eum, et ipse invadet eos ad calcaneum, seu fugientes.

Sensus itaque est: Juda gaudebit eminentia et quasi patria potestate, seu tenebit sceptrum eminentiae inter reliquas tribus, et erit dux, donec veniat ille cujus est sceptrum regium, et qui populis dominetur. Eminentiam haec tribus nullo non tempore retinuit, sub ipso quoque Saulo, a quo tribus Juda eo redigi non poterat, ut Davidem latentem traderet, et eo interfecto Davidem elegit regem, cui demum etiam ceterae tribus se sponte subjecerunt. Dein quoque facto schismate decem tribuum, eminuit tamen regnum Juda legitimo templo, sacerdotibus, Levitis, sacrificiis, prophetis, et custos erat arcae et tabularum foederis; imo denique, per Nebucadnezarem sceptro regio privata, adeo mansit eminens, ut omnes reliqui Hebraei se ei adjungerent, et ab ea denominarentur Judaei. Sceptrum etiam regium a Juda prorsus nunquam recessurum, verba Jacobi non edicunt diserte, ab Ezechiele autem, ut supra observavimus, c. 21; 32. ita intelliguntur et explicantur, ut regnum eversum aliquando rursus alteri Davidi restituendum sit, qui princeps Hebraeorum futurus sit in perpetuum, Ezech. 37, 24—25., et quidem celsis-

simus, cujus protectione homines omnium gentium gaudebunt, et verum Deum agnoscent ac colent, Ezech. 17, 22—24.; huic explicationi reliquos prophetas consentire, supra vidimus. Perobscurum itaque, vagum et indefinitum est hoc Jacobi effatum, quod de Messia exponi vix potuisset, nisi Prophetae lucem accendissent.

Promissiones Patriarchis factae.

Promissiones Abrahamo, Jsaaco et Jacobo, saepius repetitae, sese mutuo respiciunt, et posteriores pro notis ponunt priores, ac omnes ejusdem sunt argumenti, nisi quod aliae sunt aliis copiosiores; quare eas uno tenore subjicimus.

Caput 49. Geneseos proxime cohaeret cum capite 48., ubi Jacobus filios Josephi adoptaturus, v. 3—4. commemorat, Deum sibi adparuisse in Luz, et promisisse multitudinem posterorum ac possessionem regionis Canaan; huic promissioni innixus, non tantum illud testamentum, quod Gen. 49. legimus, condidit, sed etiam Josepho praeter duas regionis partes, quas duo ejus filii, Ephraim et Manasse, ab ipso aodptati, adepturi erant, donat urbem Sichem Gen. 48, 21—22.; memor enim erat promissionis Gen. 46, 1—4 coll., 15, 13—14., Deum aliquando posteros suos ex Aegypto in Canaan reducturum esse.

Quam Jacobus Gen. 48, 3—4. commemorat adparitionem in Luz, legimus duplicem, alteram Gen. 35, 9—12., et alteram Gen. 28, 10—15. Illa Gen. 35 9—12. Jacobo, reduci ex Haran, obtigit, cum amotis ex ampla familia sua idolis et oblato Jehovae sacri-

ficio, ipsi confirmatur mutatio nominis Jacob in Israel (cf. Gen. 32, 28—29.), et promissio innumerabilium posterorum, etiam regum, ac possessio regionis Canaan. Haec visio respicit priorem Gen. 28, 13—15., quae oblata est ei proficiscenti in Haran, et in Luz pernoctanti, ubi in somnio vidit Deum, summitati scalae, a terra in coelum pertingentis, insidentem, qui ipsi benedictionem patris Isaac sequentibus verbis confirmat Gen. 28, 13—15.

„Ego sum Jehova, Deus Abrahami, patris 13
„(avi) tui, et Deus Isaaci! regionem in qua cu-
„bas, dabo tibi, nempe progeniei tuae.
„Erit enim tua progenies sicut pulvis 14
„terrae, et erumpes versus mare (occa-
„sum) et versus ortum, versus septemtrionem et
„versus meridiem, et omnes familiae ter-
„rae per te, scilicet per progeniem
„tuam, benedicentur. En! ego tibi prae-
„sto ero, et custodiam te, quocunque ibis, et 15
„reducam te in hanc regionem, nec derelinquam
„te, donec perfecero, quae promitto."

Ex hoc ominoso somnio evigilans Jacobus, et memor benedictionis paternae Gen. 28, 2—5. 27, 27—29. mox reputat, quae suarum essent partium, et spondet, Jehovam, Deum patris et avi sui, sibi fore Deum, quem colat, cui bona, quae sibi obtingent, in acceptis referat, et decimas omnium facultatum suarum consecret, ac locum hunc sibi fore sacrum; hinc redux ex Haran, ut supra diximus, sublatis ex familia sua idolis, ex decimis Deo in hoc eodem loco,

sacrificia obtulit, et hoc officium ad posteros suos transmisit.

Isaacus, cujus Deum se esse Jehova, Gen. 28, 13. Jacobo professus est, non solum promissiones a Jehova Abrahamo factas, filio suo Jacobo inculcavit Gen. 28, 2—4 27, 27—29., sed ipse etiam divinam earum confirmationem in somnio obtinuit Gen. 26, 23—24., et antea quoque, quum orta fame Geraram tenderet, Deum audivit dicentem Gen. 26, 2—5. :

„Non descende in Aegyptum, (sed) mane in re- 2
„gione, quam tibi dico. Commorare in regione hac, 3
„et praesto tibi ero, atque benedicam tibi; nam
„tibi, nempe progenici tuae, dabo omnes regiones
„istas, et complebo jusjurandum, quod juravi
„Abrahamo patri tuo." (Gen. 15, 1—16. 22, 16.)
„Multiplicabo enim progeniem tuam 4
„sicut stellas coeli, et dabo progeniei
„tuae omnes regiones istas, et omnes
„gentes terrae per progeniem tuam
„benedicentur, quia Abraham obtemperavit 5
„mihi, (et custodivit, quae custodienda mandavi,
„praecepta mea, decreta mea et legem meam." *)

Promissiones, quae hic memorantur, Abrahamo datae, huic Patriarchae saepius repetitae fuerunt; :

---

*) Ultima haec verba, parenthesi inclusa: וַיִּשְׁמֹר מִשְׁמַרְתִּי מִצְוֹתַי חֻקּוֹתַי וְתוֹרֹתָי, quae alibi in Genesi non leguntur, et legem Mosis sapiunt, a recentiori manu ex lege Mosis, in qua saepius recurrunt, huc translata fuisse videntur.

proxima ordine retrogrado legitur Gen. 22, 16—18., ubi Jehovae legatus, qui etiam ipse est Jehova, Abrahamum ab immolatione filii prohibet, et ipsi adclamat:

„Per me ipsum juro (est effatum Jehovae *), 16
„quia fecisti hanc rem, et unicum tuum filium
„mihi non denegasti: benedicam tibi, et mul-
„tiplicabo progeniem tuam sicut stel- 17
„las coeli, et sicut arenam, quae est
„in littore maris; progenies tua obtine-
„bit portas (urbes) hostium tuorum, atque
„omnes gentes terrae per progeniem 18
„tuam benedicentur; quia obtemperasti
„mihi."

Huic promissioni compar est alia paulo antiquior, qua ille legatus Jehovae cum duobus aliis ab Abrahamo convivio exceptus, in discessu suo promissionem itidem antiquiorem confirmat Gen. 18, 17—19.

„An celem Abrahamum, quod facturus sum? 17
„Nam Abraham fiet gens magna et potens, 18
„et per ipsum omnes gentes terrae be-
„nedicentur. Novi enim eum: praecepturus 19
„est filiis suis et familiae suae post se, ut custo-
„diant viam (religionem) Jehovae, faciendo quod

*) „ נאם alias in Genesi non occurrit, imo et in Pentateucho non legitur, nisi Num. 14, 28. et 24, 3. 15. 16.; quare insertum esse videtur ab aliquo, qui ignoravit, legatum hunc esse ipsum Jehovam.

„justum et aequum est, ut Jehova adducat supra „Abrahamum, quod ipsi promisit."

Verba haec ponunt, adprime nota fuisse promissa, quae praecesserant, quorum proximum legitur Gen. 17., ubi Deus Abrahamo ex Sara pollicetur amplissimam posteritatem, et in ea etiam reges, ac possessionem regionis Canaan; nomen Abram, pater excelsus, mutat in Abraham, pater multarum gentium, et nomen Sarai, domina princeps, in Sara seu ut in versione Alexandrina scribitur Sarra, pariens principes; praecipit autem integritatem morum, veram religionem, et circumcisionem ut symbolum consecrationis ad hanc religionem observandam. Antiquior promissio innumerabilium posterorum et regionis Canaan, ritibus foederum et solenni jurejurando firmata, narratur Gen. 15, 1—21., et simplicior minusque copiosa Gen. 13, 14—17.; prima autem, quae ei data est, his verbis consignata legitur Gen. 12, 1—3.:

Dixerat 1) autem Jehova ad Abramum: „mi- 1
„gra ex regione tua et ex cognatione tua et ex
„domo patris tui in regionem, quam ostendam 2

---

1) Ita in Plusquamperfecto vertendum est וַיֹּאמֶר, quia ultimo capitis praecedentis versu narrata fuit mors Therachi anno aetatis 205 Gen. 11, 32.; Abramus autem, anno Therachi 70 natus Gen. 11, 26, et jam cum erat 75 annorum Gen. 12, 4., adeoque 60 annis ante obitum Therachi emigravit.

„tibi; et faciam te gentem magnam, ac 2
„benedicam tibi, et magnum faciam nomen tuum,
„erisque benedictus. 2) Benedicam benedicenti- 3
„bus tibi, et maledicam maledicentibus tibi 3),
„et per te omnes familiae terrae bene-
„dicentur."

Benedictio omnium gentium Patriarchis promissa.

Omnes hae promissiones, et, quae demum eis superstructa fuit, Mosaica reipublicae Hebraicae constitutio, eo collineant, ut inundante tunc temporis orbem superstitione et idololatria, conservaretur Dei cognitio, vera religio et studium religiosae morum probitatis, donec ad alias gentes propagari posset, quod benedictione omnium gentium per progeniem horum Patriarcharum, exprimitur. Id tam perspicu-

---

2) Erisque benedictus וֶהְיֵה בְּרָכָה et esto benedictio, imperativus pro futuro, et abstractum pro concreto; quod utrumque non est nimis rarum. Benedictio autem in omnibus his locis spectatur in effectu, et venit pro beatitudine, quam Deus largietur; sensus itaque est : eris beatus.

3) מְקַלֶּלְךָ est quidem singularis, sed collective intelligendus; hinc jam Alexandrinus, Syrus et Vulgatus verterunt in plurali, nisi forte legerint מְקַלְלֶיךָ, quod exhibet textus Samaritanus, et codex Kennicotti 206 ac forte 155, videtur tamen esse correctio grammaticorum.

um est, ut mirandum sit, esse multos, qui contra dicunt, et has promissiones vel in mythos convertunt, quos, in vastissima omnium gentium mythologia nihil simile habentes, opere compleverit casus fortuitus, qui tamen, omnibus fatentibus, sub singulari Dei omnium etiam minimarum rerum gubernatione locum habere nequit; vel speciosis artificiis exegeticis ad alia omnia detorqnere malunt, quam sine artificio, eo sensu exponere, quem verba offerunt, et eventus ostendit. His ut satisfiat, pluribus comprobandum est, huic benedictioni, per progeniem Patriarcharum omnibus gentibus obventurae, reapse nihil subesse aliud quam propagationem verae religionis. Et primum quidem ipsa harum promissionum verba inter se conferenda et collata conspectui subjicienda, ac demum diligentius expendenda sunt. Verba, quae ad nos spectant, sunt:

וְנִבְרְכוּ בְךָ כֹּל מִשְׁפְּחוֹת הָאֲדָמָה Gen. 12, 3. I.

וְנִבְרְכוּ בוֹ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ Gen. 18, 18. II.

וְהִתְבָּרְכוּ בְזַרְעֲךָ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ Gen. 22, 18 III.

וְהִתְבָּרְכוּ בְזַרְעֲךָ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ Gen. 26, 4. IV.

וְנִבְרְכוּ בְךָ כֹּל מִשְׁפְּחוֹת הָאֲדָמָה וּבְזַרְעֶךָ Gen. 28, 14V.

Ex hac collatione liquet I., ultimam, (Gen. 28, 14. Jacobo datam promissionem esse ceteris uberiorem et clariorem; nam בְךָ per te, diserte explicatur praeposito Vau exegetico per וּבְזַרְעֶךָ et, i. e., nempe, per progeniem tuam, quae expressio etiam in tertia Abrahamo Gen. 22, 18. facta, et demum in

quarta Isaaco Gen. 26, 4. repetita promissione substituitur expressionibus בְּךָ per te, et בּוֹ per-eum, quae in prima et in secunda promissione leguntur. Adparet II. permutari כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ omnes gentes terrae Gen. 18, 18. 22, 18. 26, 4., cum כֹּל מִשְׁפְּחוֹת הָאֲדָמָה omnes familiae terraquei Gen. 12, 3. 28, 14., ut אֶרֶץ non possit exponi de sola regione posterorum Abrahami, Isaaci et Jacobi, uti etiam oppositio posterorum hujus familiae patriarchalis docet. Patet III. formam septimam נִבְרְכוּ in prima, secunda et quinta promissione Gen. 12, 3. 18., 18, 28, 14., permutari cum forma quinta הִתְבָּרְכוּ in tertia et quarta promissione Gen. 22, 18. 26, 4., utramque igitur formam hujus Verbi prorsus idem valere.

Perspicuum itaque est, I. de omnibus aliis gentibus et familiis orbis terrarum, quae posteris Patriarcharum opponuntur, et II. de benedictione, quae illis non per ipsos Patriarchas, sed per progeniem seu posteros eorum continget, sermonem esse. Neque III. dubitari potest, benedictionem in effectu, seu felicitatem esse intelligendam. Id ultimum quidem impugnavit Jurieu Hist. Crit. Vol. I. c. 1., qui plures nostra aetate sequaces obtinuit. Hi נִבְרְכוּ et הִתְבָּרְכוּ exponunt de actione mutua: sibi invicem bona adprecabuntur, ut sensus sit: gentes omnes sibi invicem bona adprecabuntur, dicendo: Deus te reddat ita beatum ut Abrahamum Isaacum et Jacobum, i. e., ut posteros horum Patriarcharum. Ut hanc artificiosam inter-

pretationem aliqua saltem ratione comprobent, provocant ad Gen. 48, 20., ubi autem nec quinta, nec septima, sed secunda nostri Verbi forma, et quidem cum adjecta explicatione legitur. בְּךָ יְבָרֵךְ יִשְׂרָאֵל לֵאמֹר יְשִׂמְךָ אֱלֹהִים כְּאֶפְרַיִם וְכִמְנַשֶּׁה per te benedicet (populus) Israel, dicendo: Deus te faciat sicut Ephraimum et Manassen. Quis non videt, locum hunc adductis supra promissionibus prorsus dissimilem esse? Observanda autem simul est altera disparitas, quod hoc loco non fit mentio de progenie Josephi, ut supra simul progenies Abrahami, Isaaci et Jacobi, commemoratur; nec perspici facile potest, cur haec explicatio de posteris vel progenie, illis promissionibus adjecta esset, siquidem hi Patriarchae tanta prosperitate usi sunt, ut in exemplum trahi potuerint, nec opus fuerit, eorum quoque progeniem memorare. Nec reticendum est, Gen. 48, 20. diserte de adprecatione bonorum et quidem de singulis Israelitis esse sermonem, gentes vero integras, de quibus in nostris promissionibus sermo est, non solere sibi invicem bona adprecari. Occurrit autem, quod hoc interpretationis artificium penitus subruit, scilicet usum loquendi repugnare; nam etsi diffitendum non est, quintam et septimam Verborum quorundam formam nonnunquam gaudere notione actionis mutuae, ut הִתְפַּתֵּל et נֶאֱבַק colluctatus est, נִדְבַּר collocutus est, נוֹעַץ consultavit; id tamen nequaquam pro arbitrio de omnibus Verbis harum formarum fingendum, sed de singulis comprobandum est usu loquendi, qui desideratur in nostro

Verbo, cujus quidem forma septima alibi non recurrit, verum, ut supra memorata permutatio docet, certum est, eam valere idem ac formam quintam, quae legitur I. Deut. 29, 18. : וְהִתְבָּרֵךְ בִּלְבָבוֹ, quod verti nullatenus potest aliter quam: *et benedicat sibi in animo suo, i. e, sibi bona polliceatur, seu, se felicem reputet.* — Ita etiam II. Jes. 66, 16. legitur : הַמִּתְבָּרֵךְ בָּאָרֶץ יִתְבָּרֵךְ בֵּאלֹהֵי אָמֵן וְהַנִּשְׁבָּע בָּאָרֶץ יִשָּׁבַע בֵּאלֹהֵי אָמֵן , ubi oppositio notionem Verbi perspicue definit: *qui sibi benedicet in terra, benedicet sibi per Deum verum; et qui jurabit in terra, jurabit per Deum verum*; nam sicut qui jurat, non alteri sed sibi mala imprecatur : ita etiam, ut oppositio sibi constet, vertendum est: *qui sibi* (non alteri) *bona adprecabitur* etc. III. Eadem haec istorum duorum Verborum oppositio eodem prorsus sensu legitur Jer. 4, 2., ut de notione formae quintae הִתְבָּרֵךְ nullus relinquatur dubitandi locus. Hinc IV. notio alia ipsi nec Gen. 22, 18. 26, 4, nec Ps. 71, 17. obtrudenda est, inprimis quia ubique locum suum commode tenet; quare Ps. 71. 17.: וְיִתְבָּרְכוּ בוֹ כָּל גּוֹיִם וְאַשְּׁרוּהוּ vertendum erit: *per eum benedicent sibi*, i. e., felices erunt, vel felices se reputabunt *omnes gentes, et depraedicabunt eum.* Alibi haec hujus Verbi forma non recurrit. Cum itaque tribus prioribus locis propria sit haec notio, etiam tribus locis posterioribus, quibus non minus apte convenit, repudianda minime est, aut cur rejicienda sit, ratio philologica et exegetica reddenda,

quae de Verbo alibi non recurrente reddi nunquam poterit.

Ne autem ambiguum relinquere videamur, quodnam genus felicitatis per progeniem Patriarcharum ad omnes gentes terraquei derivandum, de quo gentes omnes sibi gratulabuntur, intelligendum sit: etiam de hoc plura dicenda veniunt, quamquam idipsum attento Pentateuchi et inprimis libri Geneseos lectori, cujus mens integra, nec ulla opinione praeoccupata est, obscurum esse vix potest. Nam qui historiam Patriarcharum diligentius et libera mente meditatus est, non potuit non observare, omnium eorum, quae piis illis viris et eorum posteris promissa fuisse legit, finem esse conservationem verae religionis, et religiosae probitatis; in hanc enim tanquam in centrum, omnia illa de externa, domestica et civili felicitate promissa, prout illi adolescentiae humanitatis congruebant, concurrunt. Nam promissa fuit prosperitas externa hac conditione, ut verum Deum, Dominum et creatorem et rectorem omnium, religiose agnoscerent, pie colerent, et sedulam religiosae morum probitati operam navarent, prout disertis verbis expressum legitur Gen. 17, 1. „cum Abram esset 99 annorum, adparuit ei Je„hova, et dixit ad eum: ego sum Deus altissimus, „ambula coram me, et esto perfectus, i. e., „mihi servito, me religiose cole, et esto „integer vitae," cf. Ps. 119, 1. Ita etiam Gen. 18, „17 — 19. legitur: „et dixit Jehova: num celabo (i. e. non „celabo) Abrahamum, quid facturus sim? nam Abra„ham fiet gens magna et potens, et benedicentur (fe-

„lices reddentur) per eum omnes gentes terrae; nam „novi eum, praecepturus enim est filiis su„is et familiae suae post se, ut custodiant „viam Jehovae (religionem) faciendo justum „et aequum, ut adducat Jehova super Abrahamum, „quod promisit ei," ad quod pertinet etiam promissio de benedictione omnium gentium. Cf. quoque Gen. 22, 16—18. 26, 5. Atque Abrahamum, Isaacum et Jacobum hac de re edocuisse filios, domesticos et servos, testantur non solum loca Gen. 24, 3. 12. 26—27. 27, 28 —29. 28, 2. 4. 10—15. 29, 32—35. 30, 2. 6. 8. 17. 18. 20. 23 35, 1—7—15., sed ipsi quoque posteri eorum, verum Deum colentes testantur ipso facto, se a majoribus suis ita edoctos fuisse. Hunc promissionum illarum finem indicat etiam mutatio nominum Abram, Sarai et Jacob, in Abraham, Sara, Israel, Gen. 17, 5. 15. 32, 28—29. 35, 10.; nam nomina nova inponebantur servis recenter acquisitis et ministris regum ad majorem dignitatem evectis, cf. meam Arch. Bibl. Germ. I. Th. II. B. §. 189. S. 280—281.; unde adparet, Deum hac nominum immutatione indicasse, ut viri hi et eorum posteri deinceps huic Deo serviant. Circumcisio quoque, quae non solum Abrahamo, sed etiam domesticis ejus, servis et omnibus posteris mandata fuit, erat (more sacerdotum Aegyptiorum) consecratio ad cultum divinum, Gen. 17, 9 —14. — Si itaque felicitas Patriarchis et posteris promissa, externa quidem, domestica et civilis, verae tamen religioni arctissime connexa fuit: cogitare certe non potuerunt Patriarchae, felicitatem, per ipso-

rum posteros ad gentes propagandam, eidem verae religioni nulla ratione junctam fore. E contrario, si, prout vidimus, vera religio conservanda, erat caussa et fons felicitatis Patriarchis et posteris eorum promissae: cogitare profecto debuerunt, eandem hanc religionem fore caussam et fontem felicitatis ad omnes gentes propagandae. Aliunde benedictionem seu felicitatem ad omnes gentes derivandam, fore mere externam, domesticam et civilem, cogitare non potuerunt, quia Gen. 22, 16. diserte promittitur, progeniem Abrahami portis, i. e., urbibus hostium potituram, et Gen. 28, 14. additur, posteros Jacobi, aliquando non solum Canaan possessuros, sed etiam versus omnes mundi plagas erupturos esse, unde patebat, illarum urbium hostilium et harum regionum finitimarum incolas per posteros Patriarcharum nequaquam externam, domesticam et civilem felicitatem consecuturos esse, et promissionem illam de hac saltem sola proprie intelligi non posse. Non alia igitur benedictio seu felicitas per progeniem Patriarcharum ad omnes gentes derivanda relinquitur nisi propagatio verae religionis, ad quam conservandam, promovendam et propagandam omnes promissiones amice conspirant.

Non deerunt fortasse, qui dicant, felicitatem Patriarchis eorumque posteris promissam, etsi religioni junctam, esse tamen externam, domesticam et civilem; ejusdem igitur generis felicitatem intelligendam esse eam, quae ad omnes gentes derivanda esse praedicitur; verum inprimis observandum est, veram re-

ligionem, in effectu spectatam, i. e., functione officiorum efficacem, non parum promovere felicitatem externam, domesticam et civilem, ut qui, vera religione ducti, praestantquae praestanda sunt, multo aliis tranquilliores et feliciores vivant, sive laeta sive adversa fortuna utantur. Dein nemo, nisi historiae humanitatis prorsus ignarus, negabit, promissionem hujus modi generalem, ideoque obscuriorem, aut saltem minus perspicuam, illi aevo congruisse, nec illi infantiae vel adolescentiae humanitatis convenisse, disertis et propriis verbis exponere illam multo eminentiorem felicitatem, quae demum adulta jam humanitate reapse ad omnes gentes propagata est. Denique tenendum inprimis est, caput principale in omnibus his promissionibus esse veram religionem per posteros Patriarcharum conservandam, adeoque demum etiam ad omnes gentes propagandam. Hujus generis sunt pleraeque revelationes, ut obiter et inconsiderate legentibus ambiguae aut obscurae videantur, conferentibus autem plura effata, eaque meditantibus et expendentibus satis clarae sint.

Etsi autem propagatio verae religionis ad omnes gentes per progeniem Abrahami, Isaaci et Jacobi, satis liquide promittitur: nulla tamen fit mentio de aetate, de auctore et de modo tantae mutationis generis humani, cujus impedimenta et difficultates non perspicit, nisi qui antiqua illa tempora et sensus hominum illius aevi diligentius perscrutatus est et intime novit, uti vel ex Platonis sententia colligi aliquatenus potest, cum scripsit, difficile esse, auctorem seu ar-

chitectum mundi invenire, et cum inveneris, indicare in vulgus, impossibile, vel ut Cicero in Timaeo seu de universo nro. 2. p. 2106. T. IV. ed. Ernest. vertit, nefas esse. Beneficium itaque ingens, sed terminis genericis promittitur. Obscuriores itaque sunt hae promissiones quam omnes aliae, hucusque pertractatae; quippe non nisi generatim attingunt unicum beneficium per progeniem Patriarcharum omnibus gentibus praestandum, quod autem recentiori aetate a Prophetis saepe et diligenter commendatum, et auctori Messiae tributum fuit, in N. demum F. persaepe laudatur, ac ex his promissionibus, quae Patriarchis datae sunt, deducitur, Luc. 1, 54—55. 72—75. 2, 32. Joh. 8, 36. coll. Matth. 13, 17. et Luc. 10, 24. Act. 3., 25 — 26. Rom, 4, 13. 16. 9, 7. 11, 1. Gal. 3, 8. 16. 19. Hebr. 2, 6.

Gen. 3.

Unus reliquus est locus Gen. 3, 15., qui honorem quidem protoëevangelii meruit, non minus tamen obscurus quam vexatus est, neque id mirum videbitur cuiquam, qui perpenderit, narrationem hoc capite comprehensam descendere ex prima humani generis aetate, quando protoparentes nostri ab infantibus non differebant; nam etsi corpore adulti erant, et expeditas habebant omnes corporis et animi facultates, iis tamen uti nondum didicerant, vix quaspiam paucas notiones rerum sensibilium et aliquas ideas acquisiverant, linguam vixdum inventam pauperrimam loquebantur, toti a sensibus pendebant, et res in somniis oblatas opinabantur reapse actas esse, prout ex Gen.

2, 21—23 liquido adparet. Hinc demum mox consequente etiam tempore, ditata aliquantum lingua, illa, quibus in prima infantia aut adolescentia suae actis Gen. 2, 16—17. 3, 1—24. vehementius commoti fuerant, alia, quam qua primitus perceperant, ratione narrare non poterant. Haec, illo infantili modo concepta narratio, etsi lingua temporis progressu ditata, mansit qualis erat, et per Methuschelachum et Noachum propagata est ad Abrahamum, et demum in linguam quoque Hebraicam transiit, minutiis quidem fortasse quibusdam (uti Gen. 3, 1. serpentem fuisse astutissimum animal, et Deum dixisse, quae Gen. 3, 22—23. leguntur) aucta, in rei summa autem immutata et depravata non fuit, prout non solum haec infantilis, primae illi hominum aetati adprime conveniens ratio narrandi, et ipsa quoque somniorum ut rerum vere peractarum descriptio, sed etiam insignis linguae paupertas, nominum praesertim pluralium penuria, ac perfrequens collectivorum usus testatur, atque certitudo quoque traditionis (non scholasticae volubilis, sed) certae et constantis domesticae et patriae, inprimis in tanta illorum hominum longaevitate, confirmat, ut Abrahamus historiam hanc ex ore Semi et ipsius quoque Noachi, et Noachus ex ore Methuschelachi, atque hic ex ore ipsius Adami saepe numero audire potuerit. Ipsa quoque obscuritas hujus loci, et difficultas rem, quae narratur, intelligendi, non aliunde venit, quam quod genuina est primorum hominum vixdum adolescentium simplex et (absit invidia verbo) puerilis narratio, quae, ut intelliga-

tur, requirit lectorem, qui omnium recentiorum obliviscatur, et se totum transferat in infantilem illum et simplicissimum protoparentum statum, quod eo difficilius est, quo plura et graviora e mente amandanda sunt, id est, quo cultior et doctior est lector. Quod, quia paucissimi possunt, peperit tantam interpretationum varietatem, quanta vix in alio sacrae scripturae loco deprehenditur. Nihilominus subeundum est, si non prorsus, saltem quodam modo novae interpretationis periculum, cui si forte succumbemus, difficultate ipsa excusabimur; abs re tamen non fuerit adjicere observationem doctissimi presbyteri Oratorii, Rich. Simon lettres choisies T. IV. p. 48. : „c'est le „sort ordinaire des auteurs, d'avoir à se défendre „contre une foule de demisavants prevenus en fave„ur de certaines opinions communes, principalement quand il s'agit des faits, qui regardent quoi„qu' indirectement la theologie. Mais il vient „un tems, ou ce que l'on a condamné d'abord comme „une erreur, est reçu ensuite comme une verité. Les „docteurs de Paris ont condameé au commencement du dernier siecle plusieurs sentiments de Jaque le „Fevre d'Estaples et d'Erasme comme des nouveau„tès dangereuses. Ces sentiments, qui paroissoient „alors dangereuses à nos sages maîtres, sont aujourd„hui reçus de tout ce qu'il y a d'habiles gens."

Opportune tamen, ne omnis nostra qualiscunque commentatio, consueta adversariis exceptione; hanc narrationem esse mythum; praecludatur, praemittendum est monitum; hominem, expeditis licet omnibus

humanitatis facultatibus instructum per se ipsum, sine externa alterius alicujus institutione nunquam ad aliquem, etsi primum et infimum humanitatis gradum eluctari, quod jam aliquatenus colligi potest ex illis, qui nati sunt surdi et muti; nam quamvis multis exemplis hominum, quae visu percipiunt, ad humanitatem evehi et excoli posse videantur, eam tamen non assequuntur, sed manent bruta animalia sine idea numinis, religionis et moralitatis; nec aliis momentis nisi instinctu et stimulis naturalibus ducuntur; neque alio medio quam baculo coërceri possunt, nisi sermonem aliquem humanum saltem per signa edocti, ac ita porro instituti fuerint. Multo autem luculentius idem comprobant homines, qui in infantia sua casu quopiam infausto e societate hominum elapsi vel exclusi fuerunt, et inter feras adoleverunt, quorum exempla, qnia parum sunt nota, paucis adducere, operae pretium est.

Puer triennis, a lupis raptus, demum adolescens 1544 in Hassia repertus, didicerat quidem more luporum quadrupes celeriter currere et salire, sed omni usu superiorum animi facultatum destitutus erat, et etiam, ut erectus incederet, nonnisi asserculis corpori alligatis assuefieri potuit. Sermonem deinde humanum edoctus, asseruit, se a lupis molliter fuisse educatum, et cum ipsis se malle quam cum hominibus esse.

Adosescens 20 circiter annorum, 1649 in Lithuania inter ursos captus, pilosus erat, quadrupes incedebat, et vix tenue quodpiam rationis humanae in-

dicium prodebat, non solum sermone, sed etiam voce humana carebat, et non absque magna difficultate demum domitus et mansuefactus est; paulatim didicit saltem ad parietem inclinatus consistere erectus, more hominum manducare, et denique etiam, voce tamen non penitus humana, loqui. Eorum, quae in feritate sua egerat, recordari non poterat.

Puer fere novem annorum, 1661 acque in Lithuania inter ursos captus, primum contra aggressores dentibus et unguibus se defendebat, quibus armis alter puer, ejus socius, venatoribus praevalens, se subduxit. Ille autem, qui demum Josephus Ursinus dictus fuit, quadrupes ambulabat, vix se erigere potuit, et non absque magna molestia erectus incedere didicit. Etsi socium habuit sibi similem, omni tamen humano sermone carebat, sed fere ut ursus murmurabat, nec unquam sermonem humanum edoceri potuit. Cf. Schweikard de statu animae hominis inter feras adolescentis 1757 Argentorati. Hinc adparet, temere asseruisse Herderum, homines hujus generis feros facile sermonem humanum discere et notitiis necessariis excoli:

Ferus juvenis Bambergensis, a Cammerario commemoratus, vitam boum vivebat, et alter, qui a Tulpio describitur, ut ovis balabat, gramine et foeno victitabat, quadrupes currebat, et difficulter mansuefactus est.

Puella, quae, 16 fere menses nata, rapta fuerat et demum aetate 19 annorum 1717 in Hollandia cap-

ta, cute erat fusca, dura et aspera, coma longa et densa, lingua balbutiente, ac herbis et arborum foliis vescebatur; erecta tamen ambulabat, et pudenda tegumento stramineo tegebat, sed admodum pavida erat; etsi in regione adeo populosa adolevit, nihilominus vix semihomo erat, facile tamen deinceps hominibus adsuevit, et sermonem humanum aliquatenus didicit.

Silentio praetereundi non sunt duo pueri feri, qui 1719 in Pyrenaeis montibus, instar rupicaprarum, a scopulo in scopulum salire visi sunt.

Adolescens 13 annorum, 1724 captus, et Petrus Hamelensis dictus, filius cauponis Muhringensis in Paderborna, hebetis ingenii fuisse putatur, sermonem humanum etiam deinceps perdiscere nunquam potuit. Blumenbach in Voigt's Physicalischen Magazin 4 B. 3 St. 41.

Puella 10 circiter annorum, Cataloni ad Marnam in Gallia 1731 deprehensa, quae demum nomine le Blanc innotuit, facultatibus animalibus mirum in modum exercitata erat; nam celerrime saliebat, in arbores reptabat, in aqua natabat, crudis piscibus et ranis vescebatur; sed magna demum cum difficultate sermonem humanum didicit, et saepe in antiquam feritatem relabebatur. Notatu dignum est, ipsam habuisse sociam, quam paulo ante quam caperetur interfecerat, neque tamen sermonem aliquem humanum invenerat vel didicerat. Cf. Uebersicht über die allgemeine Geschichte der Menschheit und Verschiedenheit der Völker. Altona

1794. Ith. Anthropologie 2te Auflag. 1803. S. 339 u. 527. Koenig Schediasma de hominum inter feras educatorum statu naturali Hamburgi 1737. Raff, Natnrgesch. S. 589. ff.

Praeterenndum denique non est, quod narratnr ab Herodoto II. 2., Psammetichum, regem Aegypti, pastori tradidisse duos pneros recens natos, ut inter capras educarentur, nec verba hominnm audirent, qui demum bicnnes non aliam protulerunt vocem nisi βεκος, qnae est imitatio soni, quem caprae mutientes edunt, unde rursus adparet, homines sine alterius institutione non invenire aliquem sermonem humanum, sine qno superiores hominis facultates non excoluntur.

Ex his tristibus miseriae humanae exemplis liquet, hominem, non tantum solitarium, sed etiam cum socio sibi simili, inter animalia viventem, esse et manere animal brutum, superiorcs animi facultates non exercere, usum rationis non adipisci, néc ullum sermonem humanum assequi, et neque incessnm erectum, licet naturae hominis convenientem, tentare. Quid, si illi, quos adduximus, homines inter feras inventi, procreassent sui similes? quid censemus posteros eorum, si non filios et nepotes, certe pronepotes et abnepotes futuros fuisse nisi bruta, nullius jam institutionis capacia? Cf. Weillers Ideen zur Gesch. der Entwicklung des religiösen Glaubens II. Th. S. 97—98. Kelle's Vorurtheilsfreye Würdigung der Mosaischen Schrift. II. Th. S. 17—103. Ewald's Religons-

lehren der Bibel I. B. S. 97. Hinc consequitur, protoparentes quoque nostros, etsi duos, sed ambos aeque incultos et rudes, inter animalia constitutos, sine externa alicujus alterius institutione ex statu animali non potuisse emergere, nec ad exercitium superiorum animi facultatum eniti, et nequidem ullum sermonem humanum, sine quo nullus est animi cultus, invenire, imo neque incessum erectum tentaturos fuisse, sed incessu et modo agendi et vivendi brutis similes mansuros, et eorum posteros prorsus in genus brutorum degeneraturos fuisse, ut paucas post generationes etiam omnis institutionis culturae humanae, atque ipsius etiam erecti incessus incapaces redderentur. Id jam Plato aliqnatenus perspexit, cnm in Politic. p. 175 de primis hominibus scribit: *Θεος ενομευε αυτυς αυτοις επιστατων, καθαπερ οἱ νυν ανθρωποι, ζωων αν ἑτερων θειοτεροι, αλλα γενη φαυλοτερα αυτων νομευσι*: „Deus pascebat eos, ipse eorum „erat praeses, sicnt nunc homines, aliis animalibus „diviniores, alia genera viliora pascunt.“ Ut igitur protoparentes ad usum rationis, ad effingendas primas ideas moralitatis, religionis et Dei, ac ad initia sermonis humani excitarentur, necessaria omnino erat externa qnaepiam institutio, quae alia esse non poterat nisi divina revelatio; atque illam, quam Gen. 1, 28 —30, 2, 16—17. 19—20. 3, 8—19. legimus, illi protoparentum infantiae adprime convenisse, primis initiis sermonis humani occasionem praebuisse, et usum rationis practicae excitasse, quis est, qui negare pos-

sit? Haec conslusio eo firmus fundata est, quo experientia, cui innititur, omnibus philosophorum minutis conclusiunculis firmior est, ut dici possit: non audio verba, ubi facta loquuntur.

Locis mox allegatis Gen. 1, 28—30. 2, 16—17. 19—20., Deus se patrem primorum hominum manifestat, prima sermonis humani initia adparat et promovet, ac salubria alimenta, quae sunt prima infantum cura, adsignat, provide autem simul cavet, ne de noxio fructu arboris, quae erat in medio illius districtus frugiferi, seu horti, manducent, cujus esum consequeretur mors; comminatio, quae adhucdum infantibus non raro annunciari solet, etsi mortem nondum norint. Fructum hunc, ut plures jam olim interpretes observarunt, reapse protoparentibus fuisse noxium, experientia modo insuperabili docuit; nam eo manducato Gen. 3, 7. curam nuditatis suae, cujus rationem antea non habebant, gerere incipiunt, quod invicto argumento est, cibum hunc nervos corporis nimium irritasse et hinc certo modo debilitasse. Prohibitio autem illa, et haec, transgressionem subsecuta corporis perturbatio, atque annunciata demum poena, erat aptissima, ut moralis seu practica horum infantum ratio ad exercitium et usum, ad discernendum bonum et malum, et ad agnoscendum Dominum et Judicem Deum excitaretur; atque ab hoc effectu arbori inditum fuit nomen cognitionis boni et mali, quae phrasis Deut. 1, 39. Jes. 7, 15—16. moralem rationis usum significat. Haec quo-

que castigatio, quae praevaricationem secuta est, exsilium nempe ex loco illo frugifero, et laboriosior hominis conditio, erat ejus generis, ut deinceps, non solum protoparentibus, sed etiam posteris eorum, perpetua esset monitio, ne usum rationis practicae negligerent, Verum haec et similia ab aliis non paucis fuse explicata sunt; quare his nunc quidem missis ipsum caput Geneseos tertium exponamus.

Gen. 3.

Astutissimum vero omnium animalium campi 1
1), quae Jehova Deus fecerat, erat serpens

---

1) עָרוּם perspicax bono et malo sensu, nempe prudens, ut Prov. 15, 5. 29, 25.; et astutus, ut 1 Sam. 23, 22., sicut Syr. עְרִים prudens et astutus. Supra autem Gen. 2, 25. עֲרוּמִּים nudi, et Gen. 3. 10. 11. עֵרוֹם nudus = غرم, ut Gauhari et Phiruzabad exponunt, decorticavit arborem, avulsit carnem ab osse, i. e., denudavit, et etiam (non ut Golius habet lactavit, sed) suxit seu vulsit puer ubera matris; ast غرم et غرم malignus, impudens fuit. unde a Syris et Hebraeis ad malevolam prudentiam seu astutiam transfertur.— חַיַּת הַשָּׂדֶה animans campi, collective, alibi ferae, oppositae animalibus domesticis; nostro autem loco, ut Gen. 1, 25. חַיַּת הָאָרֶץ, sunt animalia terrestria, opposita aquatilibus et volucribus.

2); nam dixit ad mulierem 3): etiamne dixit Deus 4): de nulla arbore 5) horti man-

---

2) הַנָּחָשׁ serpentem, et nequaquam diabolum designare, liquet ex eo, quod diabolus nullatenus dici potuit astutissimus omnium animalium terrestrium. Lectio textus Samaritani הכחש mendax, huic seriei orationis repugnat, et ingeniosam quidem, sed ineptam correctionem prodit.

3) Nam dixit ad mulierem. Vau praefixum in וַיֹּאמֶר caussale est; verbum autem hoc usurpatur quidem, absolute positum, etiam de cogitationibus: ast cum adjecto: dixit ad (mulierem), hoc sensu intelligi nequit; haec itaqne expositio Cardinalis Cajetani aliorumque, mulierem haec, quae sequuntur, duntaxat cogitasse, usui loquendi repugnat. An autem serpens reapse locutus fuerit, mox videbimus.

4) אַף כִּי alias valet quanto magis, quanto minus, omnino, quum, quia, ut Noldius in Concord. p. 97. exemplis docet; nostro autem loco, prout Noldius p. 787 nro. 489 adjicit, et series orationis flagitat, est interrogativum pro הַאַף כִּי, unde Onkelos vertit: בְּקוּשְׁטָא אֲרֵי in veritate quod, seu vere ne; Syrus an vere, et Alexandrinus τι ὅτι. Hic hujus particulae usus archaismus est, alibi non recurrens. Ceterum observatione dignum est, scriptorem constanter uti expressione אלהים ", serpentem autem et mulierem simplici nomine אלהים, quia nomen יהוה illa prima hominum aetate nondum aderat.

5) Ita vertendum esse, docet constans et perpetuus

ducate? Mulier vero ad serpentem dixit: de 2
fructibus arborum 6) horti manduca-

Hebraeorum usus loquendi, ex quo לא כל et כל לא semper generatim omnia negat, cf. Exod. 12, 16. 43. 48. 15, 26. 22, 21. Lev. 2, 11. 3, 17. 6, 23. 7, 23. 16, 17. 17, 12. 14. etc. Vide meam Grammat. L. H. ed. III. p. 394. et Noldii Concord. Part. p. 387. Ut exprimatur non omne, circumlocutione opus est, ut Num. 23, 13. Haec interrogatio non solum supponit falsum, sed etiam adeo inepta est, ut nec diabolo, ut quipiam volunt, nec mulieri, ut contendit Cajetanus, conveniat; sed quo ineptior est, eo manifestius prodit, hoc loco narrari somnium, quale etiam Gen. 2, 21—23. legimus, quod protoparentes, utpote infantes, a re vere acta discernere nondum didicerant, et hinc, narrabant, prout opinabantur, reapse accidisse. Somnio interrogatio hujus generis adprime convenit, quod mythologus, quem multi haec scripsisse existimant, non hac ratione narrasset, quin indicasset. Somnio haec inepta quaestio et loquens serpens adprime convenit; nam somnianti nihil magnum; et nihil tam praepostere, tam incondite, tam monstrose cogitari potest, quod non possimus somniare.

6) עֵץ arbor, lignum, פְּרִי fructus, et quamplurima alia Nomina in tribus primis Geneseos capitibus sunt collectiva, et rarior est forma pluralis numeri, quod remotissimam antiquitatem redo-

mus; ast de fructu arboris, quae est 3
in medio 7)horti, Deus dixit: non man-
ducate de illo, nec attingite eum, ne
moriamini. Serpens autem dixit ad mulierem: 4
nequaquam moriemini, sed novit De- 5
us, manducantibus vobis de eo 8)aper-

---

let. Nomen גַּן, hortus, esse recentius per se intelligitur, designat autem regionem fertilem, arboribus frugiferis consitam. Situs ejus, quia accuratior aetate scriptoris non amplius notus erat, Gen. 2, 8—14. duntaxat obiter describitur in confinio fluviorum, Euphratis, Tigridis, Gihon seu Oxi, et Phischon seu Phasis, adeoque circa mare Caspium. Observandum autem, in hac descriptione Gen. 2, 10., nomen נָהָר esse collectivum, et quatuor illos fluvios indicare, ac, רָאשִׁים non esse brachia, sed fontes fluviorum, prout usus loquendi Arabicus et Syriacus docet, ut mirum sit, eruditos interpretes id non animadvertisse.

7) בְּתוֹךְ in medio, non raro quidem idem valet ac in; sed hoc loco indicat situm arboris, nequaquam autem, ut aliunde intelligitur, mathematice definitum, quod non fuisset monendum, nisi Michaelis in notis ad versionem Germanicam de eo cogitasset, ideoque vertisset in.

8) בְּיוֹם אֲכָלְכֶם die comedere vos, i. e., quando manducabitis, seu vobis manducantibus.

tum iri oculos vestros 9), et vos fore sicut deos, scientes bonum et malum.
6 Tum vidit mulier, arborem esse bonam ad manducandum, et jucundam oculis 10), et exopta-

---

9) וְנִפְקְחוּ עֵינֵיכֶם aperientur oculi vestri, nempe tropice, ut mox sequentibus explicatur, scietis, perspicietis, discernetis bonum et malum, ut lege et doctore non sit opus. Supponitur, Deum invidere hominibus hanc perspicaciam, et hinc fructum arboris interdixisse; suspicio haec alias in mente mulieris, videntis serpentem vorare fructum hunc sine noxa, orta esse videtur. Nunc ea in vicinia arboris dormiente, serpens more suo arborem conscendit, atque strepitu et sibilo occasionem somnio praebuit; evigilans mulier conspexit serpentem de fructu vorantem et multo vegetiorem, ex quo conclusit veritatem somnii, et de fructu manducavit. Si diabolus, ut Sap. 2, 24. et in N. F. dicitur, intercessit, serpentem duntaxat illo ipso tempore, quo mulier ibi dormiebat, subornavit, ut arborem conscenderet, quod ipsum tamen in hac narratione non attingitur, nec, quia protoparentibus nostris ignotum erat, attingi potuit.

10) Tum vidit, expergefacta nempe attentius arborem aspexit, et observavit vorantem de fructibus ejus serpentem nullam noxam ferre, sed esse vegetiorem, unde conclusit, fructum esse salubrem cibum. — תַאֲוָה הוּא לָעֵינַיִם desiderium est oculis, i. e. arbor jucunda oculis, seu pulcra.

tam esse arborem ad obtinendam sapientiam 11); sumsit itaque de fructibus ejus, et manducavit, ac dedit quoque viro suo, (qui erat) cum ipsa, qui etiam manducavit. Tum aperti sunt oculi am- 7
borum, ut adverterent 12), se esse nudos, quare folia 13) ficuum connectebant, et sibi subligacula parabant. 14)

---

11) נֶחְמָד desideratus, desiderabilis, seu exoptatus, bonus. — לְהַשְׂכִּיל ad sapientem reddendum, vel ad sapiendum, ad obtinendam cognitionem; nam הִשְׂכִּיל persaepe intransitive usurpatur.

12) וַיֵּדְעוּ et cognoverunt, seu ut cognoscerent, animadverterent, vel potius curarent, quae notio huic Verbo saepe inhaeret, ut Job. 5, 27. Ruth. 3, 4. Gen. 39, 6. Prov. 27, 23. Ps. 9, 11. 36, 11. 144, 3. Amos 3, 2. Nah. 1, 6.

13) עָלֵה folium, collective folia, ut vertunt antiqui interpretes; lectio aliquorum codicum עֲלֵי est correctio librariorum, qui non observarunt, vocem, uti alias multas inprimis in his primis capitibus voces, collective usurpari.

14) Ex hoc esus consectario, curae ipsis fuisse nuditatem, quam antea non curaverant, liquet, fructum exseruisse in corpore vim nimis irritantem nervos, et hominibus, saltem in illa juventute sua, fuisse noxium.

Tum audiverunt vocem Jehovae Dei 15) am- 8
bulantis 16) in horto circa vesperam 17), et ab-
scondit se homo et mulier ejus a Jehova Deo in- 9
ter arbores horti. 18) Jehova Deus autem voca-
vit hominem, et dixit ad eum: ubi es? 19) Qui 10
respondit: vocem tuam audivi, et timui,
quia nudus sum, ideoque abscondi me.
— Dixit porro: quis annunciavit tibi, te 11

---

15) קוֹל יי׳ vox vel sonitus Jehovae potest quidem significare strepitum ambulantis, alias tamen denotat tonitrua, quae etiam h. l. intelligenda esse videntur, inprimis cum mox timor hominum commemoretur.

16) מִתְהַלֵּךְ ambulans, fortasse melius strages edens, quod tonitribus et timori hominum melius convenit; prima certe Verbi forma הָלַךְ significat etiam grassari, strages edere, Exod. 9, 23. Prov. 6, 12. Ps. 73, 9. Nah. 2, 12. Korân II. 200 et اهلك Vita Timuri I. p. 12.

17) לְרוּחַ הַיּוֹם ad ventum diei, i. e., circa vesperam, qua ingruente in illis regionibus refrigerans aura spirare solet, cf. meam Archaeol. Bibl. Germ. I. Th. I. B. §. 29. S. 152—153 et Russel Naturgesch. von Aleppo I. 57.

18) Infantium more se abscondunt בְּתוֹךְ הָעֵץ in medio arborum, i. e. inter densiores arbores.

19) Haec et quae sequuntur illi protoparentum infantiae ad amussim convenire, nemo non videt.

esse nudum?au ex arbore, de qua prae-
ceperam tibi, ne manducares ex ea, 12
manducasti? Respondit homo: mulier,
quam dedisti mihi, dedit mihi ex ar-
bore, et manducavi. Dixit itaque Jehova 13
Deus ad mulierem: quare hoc fecisti? quae
respondit: serpens decepit me 20), et man-
ducavi. Tum dixit Jehova Deus ad serpentem:
quia hoc fecisti, maledictus eris om-
nibus jumentis et omnibus feris 21);
supra ventrem tuum gradieris, et
pulverem terrae comedes omnibus
diebus vitae tuae. 22) Inimicitiam con- 15

---

20) Serpens decepit me, nempe in somnio, et dein esu suo exemplum praebendo.

21) אָרוּר מִכָּל non esse comparativum: magis maledictus quam omnia etc., facile intelligitur, quia jumenta et ferae non sunt maledictae, infelices vel execrabiles; sensus itaque est: maledictus ab omnibus, i. e., horribilis, execrabilis eris omnibus jumentis et feris. Hinc rursus liquet, serpentem non esse diabolum, qui irrationabilibus animantibus non est execrabilis, nec ipsis comparari potest.

22) Simili modo reprehendere et castigare, imo etiam verberare solemus animata et inanimata, quae occasionem infantibus praebuerunt, ut ipsi se per illa laederent, atque tali castigatione innocentium animatorum

stituo 23) inter te et mulierem, inter
progeniem tuam et progeniem mulie-
ris 24); haec (progenies mulieris) petet ca-
put tuum, et tu petes calcaneum ejus.
25) Ad mulierem vero dixit: augebo dolores 16

---

et inanimatorum, solatium quodpiam parvulis, qui se per illa laeserant, suppeditamus. Hac ratione Deus, ut pater, in solatium protoparentum, qui non erant nisi infantes adulti, reprehendit serpentem, et in speciem poena afficit, quae reapse non est poena; serpentes enim etiam antea supra ventrem gradiebantur, pulverem vero terrae nec ante, nec post lapsum protoparentum comederunt, nisi forte cum herbis aliquantum terrae deglutiant, quod autem non pauca alia animantia non minus faciunt. Phrasis haec: pulverem terrae manducare vel glutire, alias significat subjectionem ac humilem et abjectam conditionem, Jes. 49, 23. Mich. 7, 17. Ps. 72, 9. 102, 10.

23) אָשִׁית ponam, vel pono, quod autem junctum inimicitiae, Latinis valet deponere finire inimicitiam; contrarium vero dicit verbum Hebraicum, et ideo vertimus: constituo.

24) זֶרַע semen, i. e., progenies, posteri. Qui serpentem esse diabolum opinantur, viderint, qua ratione posteros diaboli commode et apte explicent.

25) הוּא respicit זֶרַע semen seu posteros mulieris, qui petent caput serpentis. — הִיא ipsa,

conceptus tui; in doloribus paries proles 26); nihilominus ad virum tuum erit appetitio tua, ipse autem tui dominabitur. 27) Ad hominem deni-

---

nempe mulier, duntaxat codices 2, et forte 5, quaepiam manuscripta versionis Alexandrinae, et nostra Vulgata sistunt; Hieronymus vero constanter allegat: ipsum, nempe semen, quod etiam in quibusdam codicibus Vulgatae legitur. — Petes, et petet, notionem Verbi שׁוּף optime exprimit; nam etsi Ps. 139, 11. contextus flagitat notionem operiendi, contegendi, nostro tamen loco uti etiam Job. 9, 17., series orationis deposcit notionem hostiliter petendi, quae latet in سَافَ med. Vau, quod Golius quidem vertit odoratus fuit, sed Scholista Divan Hudeil, a Schultensio Job 5, 5. et a Rosenmüllero Gen. 3, 16. adductus, phrasim سَافَ وَحْشًا explicat صَادَ venatus est feram, i.e., hostiliter petivit, quia nempe odoratu canum latibulum ferae investigatur.

26) Mulier etiam absque hoc peccato, natura ita postulante, dolores partus sensisset, quos jam tum in parturientibus animalibus aliquatenus animadvertere poterat; hinc duntaxat de multiplicatione dolorum sermo est, quae videtur esse consectarium illius degustati fructus, qui nervos reddidit magis irritabiles.

27) תְּשׁוּקָה Desiderium, amor sexus, ut patet ex

que dixit: quia obtemperasti 28) mulieri
tuae, et ex arbore manducasti, de qua
praeceperam tibi, dicens: ne mandu-
ces ex ea: maledicta erit terra propter
te 29); cum labore (laboriose) manduca-
bis ex ea omnibus diebus vitae tuae. 18
Spinas et tribulos tibi progerminabit,
et gramine campi vesceris. In sudo- 19
re vultus tui vesceris cibo, donec re-
vertaris in terram, de qua sumtus es;

شَاقَ, quod, teste Gauhario et Phiruzabadio, impulsionem cupiditatis et commotionem amoris designat. Appetitio viri in foemina, et dominium viri in mulierem, in natura fundatum est, et locum sine dubio habuisset, etiam si lapsus protoparentum non accidisset. De majori itaque vehementia appetitionis, quae ex illa nervorum irritatione orta est, intelligendum est, quod h. l. legitur

28) שָׁמַעְתָּ לְקוֹל audisti vocem, i. e; obtemperasti.

29) Pro בַּעֲבוּרֶךָ propter te; cod. de Rossi 99 sistit בַּעֲבוֹדֶיךָ in operibus tuis, quod exprimit Alexandrinus, Symmachus, atque Vulgatus: in opere tuo; id ex errore oculorum ortum esse videtur, quo literae similes Resch et Daleth permutatae fuerunt.

nam pulvis es, et in pulverem reverteris. 30)

Vocavit autem homo mulierem suam Cha- 20
vva (vivificantem), quia futura erat mater om-
nium viventium 31). Tum Jehova Deus fecit ho- 21

---

30) Terram, etiam si protoparentes lapsi non fuissent, progerminaturam fuisse spinas et tribulos, et homines manducaturos fuisse diversa graminum seu olerum genera, ac terram laboriose colendam fuisse, nemo non videt; imo et protoparentes natura sua mortales fuisse, saltem eatenus, ut potuerint mori, vix ullus negabit; poena igitur ad id solum redit, ut nune homines variis et pluribus atque majoribus calamitatibus, qnae alibi non raro nomine mortis exprimuntur, conflictaturi essent, et etiam mori deberent, atque protoparentes, regione illa fertili pulsi, majori labore sibi ex terra alimenta parare debuerint. Fortasse tamen hic molestior labor corpori, per illum fructum arboris vetitae corrupto, necessarius erat. aut saltem conducebat, quod experientia hodiedum docet. Ceterum זֵעָה est ἁπαξλεγομενον seu archaismus, qui ex Syr. דועתא. sudor, succus, lumen capit.

31) Nomen hoc primae mulieri serius impositum fuisse, et relationem hanc, quae hoc loco non satis apto legitur, non esse ex primaeva narratione, vix opus est monere; nam jam supra Gen. 2, 23. narratum fuit, nomen mulieris fuisse אִשָּׁה vira.

mini et mulieri ejus tunicas pelliceas 32), et jussit eos indui.

Dein dixit Jehova Deus: en! homo factus est sicut unus ex nobis, cognoscens bonum et malum; ne igitur nunc extendat manum suam etiam ad arborem vitae 33), et manducet, ac vivat in aeternum: 34) — Emisit itaque illum Je-

---

Nomen autem חַוָּה est ab obsoleto חוה (pro חיה) vixit, quod asservarunt Phoenices, qui salutabant avo adoni, i. e. חַוֵּה אֲדֹנִי vive (felix) domine mi; prout etiam יהוה est ab הוה (pro היה), quod conservarunt Aramaei et Arabes.

32) In Bibliis persaepe dicitur facere, qui jubet, aut curat, aut permittit fieri; ita Deus fecit tunicas, vel potius subligacula, i. e., nutu indicavit, animalibus posse pelles detrahi, et in vestitum hominum converti. — כְּתֹנֹת עוֹר non: subligacula super cutem seu pudenda, sed (ut אֵזוֹר עוֹר cingulum pelliceum) subligacula pellicea; artificiosae tunicae integrae certe non erant.

33) עֵץ הַחַיִּים arbor vitae, etiam Gen. 2, 9. memorata, alibi est arbor salutaris, cujus fructus infirmitatibus et morbis medetur; Prov. 3, 18. 11, 30. 15, 4. Videtur itaque intelligenda etiam hoc loco arbor, cujus fructus sanitatem firmaret et vitam prorogaret.

34) Offendit quospiam ironia, quae hic legitur; Ve-

hova Deus ex horto Eden, ut coleret terram, de qua sumtus fuit. Expulit igitur hominem, et ab
24
oriente horti Eden constituit Cherubim et flammam gladii versatilis ad custodiendam viam horti Eden. 35)

---

rum dubium vix ullum esse potest, Deum haec non dixisse, sed expellendo protoparentes ex paradiso ita egisse, ac si haec dixisset aut cogitasset, prout similis loquendi modus observatur etiam alibi, ut 1 Sam. 29, 5. 11. 2 Sam. 16, 10—11. 24, 1.; hinc etiam hic sermo mox abrumpitur, et narratur ipsa expulsio, cf. Gen. 1, 26. 2, 18.

35) Si vox Jehovae ambulantis seu strages edentis, Gen. 3, 8., erat tempestas cum tonitribus et fulguribus: liquet, Cherubim et flammam gladii versatilis esse symbola illius tempestatis, qua protoparentes ex illa regione fugati sunt. כְּרוּבִים esse nubes vel ventos tempestatis, adparet ex parallelismo poëtico Ps. 18, 11. coll. 104, 3. 91, 1. 97, 2. Jes. 19, 1. Exod. 40, 35. et Ezech. 1. Flammam autem gladii se convertentis seu versatilis descriptionem esse fulgurum et fulminum, dubitari nequit; non est quidem haec expressio ex primaeva protoparentum aetate, qua gladius nondum notus erat, remotissimae tamen antiquitatis esse, optica arguit descriptio, qualis prorsus eadem recentiori aevo non recurrit. — Observandum denique est, אָדָם semper occurrere cum articulo, הָאָדָם,

Expositio Gen. 3, 15.

Qui a se impetrare potest, ut non solum omnium hujus loci interpretationum, et omnium recentiorum notionum et idearum obliviscatur, sed etiam illum infantilem, simplicissimum et perpaucis notionibus instructum animum protoparentum nostrorum induat: in loco Gen. 3, 15. non aliud reperiet, nisi quod oppositum est illi somnio Gen. 3, 1. 5., in quo mulier cum serpente amice colloquuta est, et demum falsis imaginationis suggestionibus cessit. In locum nempe hujus temerariae fiduciae et confidentiae in serpentem, succedet perpetua inimicitia et hostilitas inter mulierem et serpentem, illiusque et hujus posteros. Serpentes, prout eorum natura fert, petent calcem hominum, hi autem posteri mulieris petent caput serpentum, in quo vita est. Monitum, quod subest, protoparentes, etsi rudes et infantiles, facile perspicere poterant, similes nempe suggestiones, in speciem amicas, quales in somnio percepit mulier, nunquam defuturas, verum reputandas esse hostes infensissimos, qui impugnandi, amoliendi et delendi sunt. Hunc sensum innuit poena, non solum protoparentibus, sed etiam serpenti annunciata, quae perpetua, in facto posita, futura esset monitio, quibuscunque adlectationibus et illecebris non esse inconsiderate ceden-

---

unde adparet, non esse nomen proprium, quod articulum respuit, sed nomen adpellativum; hinc ubique vertimus: **homo**, proprie **terrenus**, vel **terrestris**.

dum, sed resistendum, et etiam eos, qui ad transgressionem invitant, esse poena dignos. Hac via usus rationis practicae seu facultatis de moralitate actionum judicandi, excitatus fuit, ut homo sui ipsius et actionum suarum fieret judex, atque etiam illis, quae adversa acciderent, sicut illa annunciata poena, et expulsio ex regione fertili, uteretur tanquam monitis divinis, quibus cautior redderetur. Illa dictata poena, et ejectio ex fecundo commorationis loco tanquam ex patria, docuit quoque homines, Deum, qui se ipsis manifestarat dominum et auctorem ipsorum et rerum omnium, esse simul hominum judicem. — Quae modo dicta sunt, primam constituunt praeparationem ad morale regnum Messiae, et hoc sensu locus iste merito dici potest protoëvangelium. Qui plura in eo quaerunt, et semen mulieris, repugnante licet usu loquendi, explicant de Messia, qui ex virgine nasciturus erat, etiam semen serpentis de quopiam insigni nato serpentis, vel si placet diaboli, exponendum esse, negare non poterunt, si modo sibi ipsi constare velint, neque exitum invenient, si dixerint, semen seu progeniem serpentis esse filios diaboli seu homines sceleratos; nam Messias non hos, sed diabolum expugnasse dicitur. Haec quoque et his similia, quae huic loco a non paucis obtrusa fuerunt, ab illo protoparentum nostrorum statu infantiae longissime distabant, ut nec hilum intelligere aut augurari potuissent. Hinc in N. F., in quo aliunde plura V. F. loca ad Messiam adcommodantur, nullus tamen hujus loci usus occurrit. Suffi-

ciat itaque nobis protoëvangelium eo sensu, quem supra exposuimus, nec aliud porro in hoc loco quaeramus, quod verba et adjuncta illius humanae infantiae non offerunt, imo nequidem admittunt.

Recapitulatio vaticiniorum Messianorum ordine chronologico.

Non abs re erit, vaticinia, quae hucusque retrogradientes pertractavimus, nunc ordine chronologico progredientes paucis recapitulare. Non nimis frequentia, sicut vidimus, erant, sed, prout conditio temporum ferebat, sparsim edebantur, nec ampliorem lucem praebebant, quam quae diversis illis aetatibus conducebat, ut exspectatio excitaretur, spes alcretur, et desiderium incenderetur, ac ita complementum aliquando conseculurum primum eminus et remote, et ita porro propius praepararetur; quapropter quo sunt antiquiora vaticinia, eo magis genericis et minus definitis verbis expressa sunt, quibus dein recentiora novum aliquod lumen affundebant, ut demum, si vaticinia omnia solerter collata essent, attentis et curiosis lectoribus sufficerent ad illum, qui promissus fuit, quando proditurus esset, dignoscendum.

Protoparentibus nostris illa divina, ad usum rationis practicae inchoandum excitatio prorsus necessaria erat, ut Deum creatorem, dominum, et judicem agnoscerent, moralitatem actionum suarum dijudicare discerent, et posteros suos edocerent, atque hi ulteriori temporis progressu ideis religionis et moralitatis magis magisque excolerentur, ac ad excipiendas promissiones, et per has ad ipsum magni sospita-

toris adventum pedetentim praepararentur. Disertam autem Messiae promissionem rudis ille et incultus, qualis erat hominum primitivorum animus, non cepisset, nec illis vetustissimis temporibus aderant verba, quae ipsam apte exprimerent et intelligerentur; neque erat quidquam hujus generis cognitum, cui compararetur, ut igitur nec propriis nec inpropriis verbis commode annunciari, nec quacunque ratione expressa esset, aliquatenus percipi potuisset. Alias tamen ulteriores quaspiam divinas monitiones progressu temporis ad illam, quam diximus, primam excitationem humanitatis, accessisse, vero quidem simile est, sed non legimus nisi admonitionem et castigationem Kaini Gen. 4. 7. 9—16., spiritum Dei, i. e., spiritum propheticum exorbitantes ante diluvium homines reprehendentem Gen. 6, 3., ac illa, quae Noachus edoctus fuit Gen. 6, 13. seqq. 9, 4—8., quae, consilio nostro minus arcte nexa, mittimus. Aetate nempe auctoris, qui, quae reperit documenta fide digna, collegit et posteris consignavit, aliae satis certae relationes jam deerant; quare, missis incertis, satius duxit, Gen. 5, 1—32 et 11. 10—26 nominare patriarchas, per quos cognitio Dei creatoris, gubernatoris et judicis, ac studium religiosae probitatis a primo homine usque ad Abrahamum propagatum fuit.

Cum autem progrediente post diluvium tempore superstitio, quae creaturas in numina convertebat, et idololatria ac polytheismus universum terrarum orbem inundaret, atque in ipsam quoque religiosam illorum patriarcharum familiam penetraret, Gen. 31, 19. 30—

35. Jos. 24, 2., ut vera religio, nisi singulari ratione subveniretur, exstinguenda esset, et ita nulla ulterior praeparatio ad adventum magni illius sospitatoris locum habere posset: Abrahamus promissionibus felicitatis externae, domesticae et civilis posterorum suorum, ad conservandam cognitionem veri Dei et religiosam morum probitatem vocatus fuit, addito etiam Gen. 12,3. 18, 18. graviori quidem, generali tamen promisso, per posteros ejus aliquando beandas fore omnes gentes, quod de propagatione verae religionis ad alios populos, idololatriae addictos, intelligendum esse, ostendimus, Gen. 17, 1. 5. 15. 18, 17—19. 32, 28—29. 35, 10. coll. 22, 16. 28, 24. etc. Indefinitum autem mansit, quando, qua via et ratione, quibus mediis, per quos aut per quem id praestandum esset; atque ipsa etiam religionis propagatio verbo generico benedictionis expressa erat. Has promissiones indefinitas, Gen. 22, 18 26, 4. 28, 14. Isaaco et Jacobo repetitas, et ab hoc Gen. 49, 8—10 verbis vagis et ambiguis, inprimis ad posteros Judae, testamento transmissas fuisse vidimus; regnum, posteris Abrahami et Jacobi Gen. 17, 6. 16, 35, 11. promissum, ad posteros Judae pertinere, Gen. 49, 9—10. satis quidem aperte dicitur, sed aliquando amissum, rursus esse rediturum, demum 1000 annis serius Amos 9,11. obscurius quidem, sed 200 annis serius Ezechiel 17, 22—24. clare annunciavit. — Quae subsecuta est lex Mosaica, duntaxat generatim Hebraeos ad excipiendas ulteriores promissiones, et remote ad adventum

magni sospitatoris praeparabat: ὁ νομος παιδαγωγος ἡμῶν γεγόνεν εἰς χριστιν, Gal. 3., 24., quo sensu etiam omnes prephatae, qui Hebraeos meliora edocebant, viam Messiae sternebant: τουτω παντες οἱ προφηται μαρτυρουσι, Act. 10. 43.

Cum autem David illud, posteris Abrahami, Jacobi et Judae promissum regnum adeptus esset, ulteriorem etiam obtinuit divinam promissionem throni in ejus familia perpetui, et quidem promissionem absolutam, omni conditione diserte exclusa, 2 Sam. 7, 13—16, 1 Paral. 17, 12 — 14.; quapropter haec perpetuitas a recentiori auctore Psalm. 89, 30. 37 — 38. sensu stricto explicatur, et perpetuitati coeli, solis, lunae et iridis comparatur. Non fore autem perpetuam successorum seriem, sed unum aliquem Davidis successorem fore regem perpetuum, Ezechiel 37, 25. disertis verbis edicit, et Micha 5, 3. inquit, ipsum a Jehova roboratum per excelsam Jehovae potentiam perseveranter regnaturum, nec ullus Prophetarum, Messiam annuncians, successoris meminit, nec finem regni ejus vel obiter attingit, ut non urgeamus, Ezechielem 34, 23. 37, 24—26. hunc secundum Davidem dicere unicum. (Locum enim Jer. 33, 14—26., ubi innumeri posteri Davidis promittuntur, intrusum esse, argumentis, ut nobis quidem videtur, si non insuperabilibus, saltem verisimillimis evicimus.) Imo jam David,

vel Psaltes Davidi coaevus, Ps. 110, canit regem prorsus singularem, considentem ad dexteram Jehovae, seu gubernationis divinae participem, perpetuum sacerdotem juxta ritum Melchizedeki, victorem adversariorum, seu superantem omnia regni impedimenta, judicem gentium belligerantium, qui alias Deus est, denique hunc eminentissimum regem etiam divino nomine אֲדֹנָי condecorat. Divinam hanc dignitatem etiam angelus Dan. 9, 26. tacite innuit, cum ait, Hebraeos, qui erant populus Jehovae, jam non fore populum hujus inaugurati principis seu regis. Multo autem manifestius hanc divinam dignitatem annunciat ultimus prophetarum, Malachias, cum c. 3, 1. illum ab Hebraeis exspectatum et desideratum, nempe Messiam, appellat dominum templi, legatum foederis, seu illum legatum, qui olim cum Hebraeis foedus pepigit, et Jehova erat. Celeberrimum fore usque ad fines orbis terrarum, ait Micha 5, 3.; populos omnis generis sponte se ejus imperio subjecturos esse, vaticinatur Jesaias 11, 6—10. 52, 15. 53, 12., et Ezechiel 17, 23—24., nec non Zacharias 9, 10; atque vastissimum hoc imperium in diversissimas gentes erit ejus generis, ut gentes se sponte subjiciant, et nullus futurus sit locus armis, quorum nullus prophetarum meminit, et quae Jesaias 11, 6—9, et Zacharias 9. 9—10 disertis verbis excludunt, et Ezechiel 17, 22—24. ait, ipsum per potentiam Jehovae ad hanc emi-

nentissimam dignitatem modo tam admirabili evectum iri, ut omnes gentes agniturae sint, esse operationem divinam. Jesaias denique *11*, 2—3 addit, simul fore pientissimum prophetam.

Quantacunque autem futura sit hujus promissi maximi regis eminentia, imo divina quoque dignitas: ex humiliata tamen ac sceptro et throno privata familia Davidis proditurum esse, consentientes annunciant prophetae, Amos 9, 11., Micha 5, 1., Jesaias *11*, 1., Jeremias 23, 5. 30, 9., et Ezechiel 17, 22—23. 21, 26—27. 34, 23. 37, 24. Jesaias addit 52, 13—53, 12., sine splendore regio, et quin hominum admirationem aut adtentionem moveat, adulturum, imo fore contemtum; innocentem sceleratis adnumeratum, pro peccatis aliorum afflictum, judicio oppressum, violenta quidem, spontanea tamen morte sublatum iri, se ipsum enim sponte pro peccatis aliorum sacrificium oblaturum esse; sepulcrrum autem non, ut exspectabatur, apud facinorosos sed apud divitem adepturum, et etsi interfectum et sepultum, nihilominus fore longaevum, ac permultos, etiam magnates et potentes assec-las, quos morte sua cruenta a poenis peccatorum liberaverit, nacturum esse, et ad summam et eminentissimam dignitatem evectum iri. Paucioribus haec vatici-

natur Zacharias, cum 9, 9—10. ait, fore justum seu innocentem, afflictum quidem, sed salvatum demum, pacificum, et sine armorum usu, vastissimo imperio potiturum esse.

Nullum itaque est vaticinium de Messia debellatore gentium; nam Ps. 110, 6—7. tropice intelligendum esse docuimus, et quae alibi de felicibus bellis contra gentes leguntur, juxta prospectum propheticum ad aliam aetatem, inprimis ad Maccabaeos, et nequaquam ad Messiam spectant. E contrario a Daniele 9, 25—27. praedicitur Messias per populum venturum eversurus esse Jerusalem, et vastationem fore perpetuam sine spe restitutionis. Huic concinit Zacharias c. 11, ubi stragem genti ultimo bello Romano inferendam adumbrat. Malachias denique 3, 1. 23. 24. disertis verbis annunciat, confoederatum Hebraeis dominum templi, quem exspectabant, i. e. Messiam, severissimum fore non gentium sed Hebraeorum judicem, et regionem eorum vastaturum.

Tempus, quo proditurus esset, prophetae ante exsilium non definiunt, id unum contendunt, non ante sed post exsilium venturum esse. Daniel autem numerat a decreto, ut restituatur Jerusalem, usque ad alteram ipsius per Messiam eversionem, 622 annos, quos chronologiae, licet non parum varianti, satis apte con-

venire vidimus. Zacharias, qui pacificum, justum, afflictum quidem, sed salvatum Messiam Alexandro Magno opponit, satis aperte innuit, venturum esse post bellicosissimum hunc regem. Malachias autem cum Daniele ultimum terminum constituit poenas a Judaeis exigendas et vastationem regionis, addit autem, gravissimum esse praecessurum metatorem, qui instar alterius Eliae, inprobos Hebraeos de imminenti exitio moniturus, et ad resipiscentiam adhortaturus esset.

Praecipua itaque harum promissionum capita sunt:

I. Revocatio gentium ad veram religionem per posteros Abrahami, Jsaaci et Jacobi.

II. Rex ex tribu Juda, ex familia Davidis humiliata ac throno privata, post exilium Babylonicum proditurus, unicus et perpetuus.

III. Rex afflictus, sed salvatus; innocens servus Dei, judicio oppressus tanquam flagitiosus, violenta quidem, spontanea tamen morte pro peccatis alienis sublatus, poenas aliorum aequo animo passus, non apud facinorosos sed apud divitem sepultus, et nihilominus longaevus (adeoque redivivus), innumerabiles, etiam magnates et potentes assecias, quos a poenis liberavit, adepturus, (con-

versio gentium), et in admirationem omnium ad summam dignitatem evchendus.

IV. Rex pacificus, sine armorum usu potiturus vastissimo usque ad fines orbis terrarum imperio, gentibus se sponte subjicientibus imperaturus, et modo adeo singulari ad eminentissimam dignitatem efferendus, ut gentes agnoscant esse operationem divinam. (Conversio gentium ad verum Deum.)

V. Rex ad dexteram Dei considens, seu gubernationis divinae particeps, ut Deus, futurus judex gentium belligerantium, et divino etiam nomine dignus, victor omnium impedimentorum regni sui, ac perpetuus quoque ritu Melchizedeki sacerdos.

VI. Princeps inauguratus, seu rex, Jerusalem post reditum ex exilio Babylonio restitutam, elapsis 622 annis per populum venturum eversurus in perpetuum, ut jam non sit hujus regis populus, qui erat populus Jehovae, qui ipsum jam non pascet seu non fovebit nec singulari cura gubernabit, sed exitio relinquet, praecedente monitore, altero Elia, improbos Hebraeos severe puniturus, et regionem in perpetuum vastaturus.

Promissa haec conferre cum complemento in N. F. descripto, parum negotii est, quod itaque lectori relinquimus, id unum monentes, pleraque sensu

multo eminentiori, quam quo antiqui lectores Hebraei intelligere poterant, in opus redacta fuisse, uti rex, non terrestris et civilis, sed coelestis et moralis; dignitas non solum eminentissima, sed reapse divina; poenas aliorum, non temporales, sed aeternas abolevit; felicitatem, non domesticam aut civilem, sed moralem, coelestem et aeternam procuravit; Jerusalem evertit et regionem vastavit, non ut dux exercitus, sed ut Deus per providentiam, quae instrumento, populo Romano usa est, et ita de ceteris.

ADDITAMENTUM.

Suavissimo amico suo - e - S. D. auctor.

Exspectabam omnino, quod scribis, fore non paucos, qui doleant, vel, ut dicam quod res est, reprehendant, in ordine vaticiniorum, Messiam promittentium, praetermissos esse Psalmos duos, 16 et 22, qui manifestos Messiae characteres exhibere existimantur, et in N. F. ad Christnm referuntur. Magnopere vellem, ne Te his reprehensoribus adjunxisses, neque petiisses, ut meam de his quoque locis mentem aperiam; nam votis Tuis non respondere, mihi non minus ingratum est, quam molestum, scribere quod plurimos mihi proximos non probaturos esse novi, qui loquentem acrius quam

silentem reprehensuri et damnaturi sunt. Nam ea non est speranda humanitas, ut parum docti adversarii ignoscant interpreti, qui, legibus hermeneuticae obligatus, loca de Messia interpretari non potest, quae de alio quocunque agere videt. Errare possum, quis neget? sed etiam adversarios errare posse, nullus dubitabit. Quis nostrum erret, indubiis argumentis exegeticis evincendum est, ad quae perspicienda et dijudicanda mens integra, ab opinionibus minime praeoccupata, requiritur, quae an adversariorum sit, an mea, progressura per plures aetates disquisitio docebit. Satisfaciam itaque votis tuis, ea tamen conditione, ut paucioribus agere, et quae sunt aliunde nota, praeterire liceat. Conabor nihilominus, absoluta interpretatione etiam adversarios mihi, si fieri potest, conciliare.

Ps. 16.

Inscriptio Davidis: 1.
Custodi me Deus! nam ad Te confugio,
Dico 1) Jehovae : Tu es Dominus, 2
Bonum meum non est praeter Te. 2)

---

1) אָמַרְתְּ dicis, Chaldaeus supplet נַפְשִׁי o anima mea; quod idem valet, ac dico, quae ellipsis alibi expleta legitur Ps. 42; 6. 7. 12 43, 5. Thren. 3, 24., et observatur etiam Ps. 11, 2., ubi autem mox praecessit נַפְשִׁי, et facile intelligitur; ast nostro loco, ubi etiam casus obliquus sequitur, justo durior ellipsis esse videtur; quam ob rem melius enunciatur אָמַרְתְּ, ut in 2 codd. de Ross. et in Psalt. Viteberg. 1566 legitur, et sicut יָדַעְתָּ Ps. 140, 13. occurrit; אָמַרְתִּי sistunt codd. 14. pr. 9, forte 1. nunc 1, Bibl. Soncin., Brix. 1516 et 1518., et Polygl. Colon. 1518; in prima persona quoque vertit Alexandrinus cum Vulgato et Arabe, nec non Syrus, inprimis Hieronymus, qui eruditos Judaeos suae aetatis consulebat.

2) עַל h. l. est praeter, ut Gen. 31, 50. Lev. 18, 18. Num. 6, 20. Deut. 19, 9. cf. Noldii Concord. Partic. p. 555. Si vertere placet: bonum meum non est super te, sensus erit fere idem, nempe: tu es summum bonum meum. Alterutrum postulant sequentia v. 5—8.

Sancti 3), qui sunt in regione 4), 3
Illustrissimi sunt 5); omne desiderium 6) meum est
in eos.

---

3) לִקְדוֹשִׁים vertendum : quod ad sanctos attinet; sancti autem sunt Hebraei, Deo sacri, et opponuntur idololatris, qui v. 4. memorantur.

4) בָּאָרֶץ in regione, nempe in Palaestina; psaltes igitur versatur extra Palaestinam. — הֵמָּה illi loco sunt, minus recte a quibusdam ad sequens membrum trahitur. Qui hanc sententiam explicant de sepulcro, usum loquendi pervertunt.

5) Praefixum Vau in וְאַדִּירֵי notat apodosin; quod attinet ad sanctos, qui sunt in regione : illustrissimi sunt. Vocem autem hanc vexatam, cui variae lectiones opem non ferunt, censemus esse veram lectionem, et perfacilem, si cogitatione repetatur כֹּל, prout Ps. 133, 3. טַל repetendum est; nulla profecto difficultate laborat sententia : אַדִּירֵי כֹּל כָּל־חֶפְצִי־בָם illustres universitatis, vel omnium, i. e. illustrissimi sunt, omne meum desiderium in eos fertur. Ellipsis haec expleta legitur Ps. 119, 128. כָּל־פִּקּוּדֵי כֹל יִשָּׁרְתִּי omnia mandata universitatis, i. e. omnia mandata de omnibus, recta judico, cf. quoque Ezech, 44, 3.

6) חֵפֶּצִין h. l. desiderium Psaltis redeundi in Palaestinam exprimit, cf. Ps. 107, 30. Job 31, 16. 1 Reg. 5, 8. 9, 11.

Horum autem multa sunt simulacra 7), ad quae properant 8);

Non libabo sanguinolenta eorum libamina 9),

---

7) Sanctis, seu Hebraeis Deo sacris, opponit idololatras, inter quos versatur, et quos non nominat; sunt autem dubio procul Philistaei, apud quos David profugus, Gathae summum vitae discrimen subiit, 1 Sam. 21, 11—15. cf. Ps. 34, 1. 56, 1.— עַצְּבוֹת quidem alibi suut dolores, et עֲצַבִּים simulacra, idola; sed hoc loco etiam formam foemininam hujus esse significationis, docent sanguinolenta libamina, quae sequuntur; fortasse foemininum innuit simulacra dearum, quae erant Philistaeis.

9) אַחֵר sensum commodnm non fundere, viderunt fere omnes interpretes, nec tamen in codicibus alia reperta est lectio. Symmachus exprimit אָחוֹר ὀπίσω, et ita etiam Hieronymus et Syrus vertunt; ast Alexandrinus cum Vulgata et Arabe, ac Chaldaeus exprimunt אַחַר: μετα ταυτα, postea, מִן בָּתַר, atque ita omnino enuncianda esse vox videtur, et explenda ellipsis, quae suppleta occurrit Ruth 2, 2. אַחַר אֲשֶׁר post quem; nostro loco: post quae properant, i e., quae praeproperi sequuntur.

9) Idololatrae indicantur, qui, inprimis in oriente, de sanguine victimarum libamina libabant. Suffixum eorum, ad idola, quae nominare dedignatur, respicit.

Nec nomina eorum proferam labiis meis. 10)
Jehova est definita portio mea 11) et calix meus. 5
Tu tenes 12) sortem meam.

---

10) Nomina eorum, nempe idolorum.

11) מְנָת חֶלְקִי pars portionis meae, i.e., definita vel parata portio, a מָנָה numeravit, paravit, definivit; status constr. cum Kamets occurrit etiam Paral. 31, 3, 4. Ps. 11, 6. 63, 11. cf. Ezech. 13, Jes. 10, 19. Prov. 18, 16.; ast cum Pathach Jer. 13. 25. Portio et calix tropus est, ut videtur, desumtus ab antiquo illo more, quo cuilibet convivae singularis portio et calix adponebatur; alii tamen desumtum esse censent a divisione agrorum, aut a Levitis, qui loco agrorum acceperunt portiones ex sacris donis Israelitarum; id a longe petitum est, praeterquam quod tropus a divisione agrorum dein versu 6 sequitur.

12) תּוֹמִיךְ non est Aoristus II. formae IV., quia non adest Verbum יָמַךְ, Arabes quoque solum habent وَمَكَّة amplitudo; sed est Participium pro תּוֹמֵךְ quod exhibent codices de Ross. 3, pr. 4., Bibl. Brix. 1494., Psalt. Basil. 1516, quadr. Basil. 1518, Polygl. Col. 1566., Viteberg. 1566 in marg.; et defective תומך multi habent codices. Nec desunt exempla Participiorum cum Chirik, vid. Amos 1, 5. 8. Jes. 29, 14. 38, 5. Ps. 135, 7. et 68, 7. Jer. 15, 19. תָּמַךְ apprehendit, tenuit, sustinuit; sortem, a Deo psalti tributam, exprimit, quae est ipse Deus eum

Funiculi (metatorii) ceciderunt mihi in (loca) a-
moena 13), 6
Et possessio est mihi praeclara. 14)
Gratias Jehovae ago, qui mihi consulit 15), 7
Etiam noctu monent me renes mei. 16)
Jehovam mihi continenter propono 17), 8

---

protegens, et religio, qua psaltes Deum protectorem suum colit.

13) Tropus desumtus est a partitione regionis Canaan.

14) אַף etiam, ac inprimis in poësi et. Hoc Dei cultu, hac veri Dei religione se beatum praedicat. נַחֲלָת pro נַחֲלָה cf. Ps. 132, 4. 60, 13. Jer. 48, 36. Ps. 118, 14., verti solet hereditas, proprie autem est, quod possidetur, possessio, quae etiam ad haeredes transit.

15) אֲבָרֵךְ benedico, in hac orationis serie est gratias ago; gratias enim agit Deo, qui ei consulit, hanc praeclaram hereditatem, religionem veram praebet, et protectionem praestat.

16) Renes Hebraeis sunt sedes desideriorum; sensus ergo est, etiam noctu ipsum insomnem moveri desiderio Deo se gratum exhibendi.

17) Proprie: Jehovam pono ante me, quod solemus dicere, Deum habere ante oculos, seu semper Dei memorem esse, ut agamus, quae probat, et vitemus quae inprobat. Qui sensum ad ministerium cultus externi restringunt, sententiam confundunt cum altera: ambulare coram Jehova, si de ministris sacris usurpatur.

Qui ad dextram meam est, ne commovear. 18)
Propterea laetatur cor meum, et exsultat animus
meus 19), 9
Caro quoque mea secure quiescit. 20)
Nam non relinques animam meam orco 21, 10

---

18) כִּי in hac orationis serie aptissime vertitur ut Relativum, cujus vices saepius subire, notum est. Ad dexteram meam est, i. e., mihi praesto est, opem fert, secure ducit; ne commovear, i. e., ne succumbam, quod v. 1. oraverat: custodi me Deus.

19) Propterea, nempe quia Jehova ad meam dexteram est. — כְּבוֹדִי gloria mea, nempe quod hominis gloriam seu dignitatem constituit, animus. Qui cum Alexandrino linguam intelligunt, argutius agunt, praeterquam quod lingua parum apte respondeat cordi, et repugnet loco Gen. 49, 6.

20) Caro mea, i. e., corpus meum; quiescit, i. e., dormit secure; Deo custodiente David, etsi in periculo vitae constitutus, secure dormit, cf. Ps. 3, 6. et 4, 9. Quies in sepulcro intelligi nequit, quia orans in extremo quidem discrimine versatur, sed a Deo protegitur, ne succumbat, prout praecessit.

21) נַפְשִׁי animam meam, i. e., me, nempe ut sequitur, pium tuum. לִשְׁאוֹל orco (non, ut Alexandrinus vertit: in orco) i. e., non admittes, ut

Nec permittes pium tuum videre foveam. 22)
Docebis me viam vitae 23) 11
Saturatio gaudiorum est coram te 24),

---

interficiar et moriar. Orcus, locus subterraneus, in quem morientes descendere credebantur. — Summum vitae periculum indicatur, in quo David Gathae profugus versabatur, et ex quo salvus evasit.

22) חֲסִידֶיךָ puncta sunt numeri singularis, literae autem pluralis numeri, et K'ri jubet legere singularem, quem in textu sistunt codd. 265, permultae editiones, Judaeorum scripta non pauca, exprimit quoque Alexandrinus, Syrus et Hieronymus, nec non Petrus et Paulus Act. 2, 17. 13, 35.; series orationis denique et parallelismus poëticus poscit singularem, ut חסידיך, si genuinum esset, de plurali magnitudinis exponendum foret. — שַׁחַת nunquam significat corruptionem, prout Alexandrinus cum suis sequacibus interpretatus est, sed foveam et sepulcrum, cf. Ps. 49, 10. 30, 10. Job. 33, 18, a שׁוּחַ, ut נַחַת est a נוּחַ — רָאָה vidit, saepe idem est, ac expertus est, ut Ps. 89, 49. 49, 10. Thren. 3, 11. Jer. 44, 17.

23) תּוֹדִיעֵנִי notam mihi facies, i. e., docebis me, vel ostendes mihi. — אֹרַח חַיִּים viam vitae, i. e., viam seu media ad vitam conservandam, e quorum numero erat simulatio insaniae, quam David Gathae induit. Ps. 34, 1. 56, 1. 1 Sam. 21, 11—16.

24) Saturatio gaudiorum, שֹׂבַע שְׂמָחוֹת i. e.,

Suavitates perpetuo sunt in dextera tua. 25)

Expositio Plalmi 16.

Psaltes, in praesenti vitae discrimine constitutus, ardenter orat, ut Deus ipsi vitam salvet, nec eum interfici permittat, seu orco relinquat et sepulcro tradat, sed doceat rationem, qua evadere possit, atque id firma fide sperat. Hostes ipsius sunt, ut ex v. 4. adparet, idololatrae, inter quos versatur extra regionem Hebraeorum, ut ex v. 3. liquet, in quo desiderium suum erga Dei cultores in regione, nempe

---

exoptatum ingens seu abundans gaudium de liberatione ex periculis. — Coram te, vel tecum, אֶת־פָּנֶיךָ cum vel coram facie tua; exprimit gaudium religiosum et pium de Deo clementissimo liberatore.

25) נְעִימוֹת foemininum plurale, ἁπαξλεγομενον, usurpatum substantive, amoena, suavia, seu suavitates; intelligunter autem gratiae et beneficia, quae dicuntur esse in dextera Dei, ut ea distribuat; نَعِمَ jucundus, amoenus commodus fuit, et praeter quaepiam alia etiam notat propitius fuit Deus, et in II. benefecit; hinc نَعِيمٌ non solum voluptatem, commoditatem, bona, opes, sed etiam gratuita Dei beneficia significat, quae dicuntur نَعِيمُ اللّٰه conf. נֹעַם et נָעִים 2 Sam. 1, 26. Ezech. 32, 19. Ps. 90, 17.

Palaestina, versantes exprimit. Haec omnia manifeste indicant Davidem, Gathae apud Philistaeos profugum, et summum vitae periculum subeuntem, e quo simulando insaniam salvus elapsus est, 1 Sam. 21, 11—15. cf. Ps. 34, 1. 56, 1. Haec omnia, et inprimis commoratio extra regionem Hebraeorum et salvatio e periculo vitae, Messiae non conveniunt, cujus etiam praecipui hostes non erant idololatrae sed Judaei necem ipsius flagitantes.

Verum non solum Petrus Act. 2, 25, seqq., sed etiam eruditus Paulus Act. 13, 34 seqq., locum Ps. 16, 9—10. de praedicta per Davidem resurrectione Christi a morte, interpretatur, et uterque hanc interpretationem argumentis confirmat, ut non possit censeri mera adcommodatio, sed concedendum sit, sententiam Apostolorum fuisse, Davidem induisse personam Messiae, et resurrectionem ejus a morte vaticinatum esse. Carnem nempe, seu corpus, et animam, quae vicem Pronominis personalis supplent, distinguunt, verba haec premunt, ac cum interprete Alexandrino sumunt, animam non esse reliquendam in orco, et corpus non experturum esse corruptionem, (a שָׁחַת corruptus fuit.) Hanc interpretationem de resurrectione, non quidem Messiae, sed Davidis, jam aetate illa apud non paucos Judaeos invaluisse, adparet ex cautione, qua Petrus Act. 2, 29. explicationem de Christo, orditur: εξον ειπειν μετα παρρησιας προς ὑμας. Illa Judaeorum antiquorum interpretatio reapse adhucdum reperitur in scriptis eorum recentioribus, ut docet Ligthfoot ad Act. 2, 29. Me-

moratu dignus est locus ex Jalkut Schimoni p. 95, a J. D. Michaelis in Critic. Colleg. 1759. p. 12. adductus : „nostri Rabbini dicunt, in septem personas potestatem non habuisse vermes, quae sunt Abraham, „Isaac, Jacob, Moses, Aharon, Mirjam, et „Benjamin. De Abraham, Isaac et Jakob id omnes „scripserunt. De Mose vero et Aharone scriptum est, „mortuos, esse super os Jehovae" עַל פִּי ׳׳ i. e., ex effato Jehovae, quod Judaei de osculo et de consequente hinc, ut putant, incorruptione et resurrectione explicant) „De Mirjam „narrat R. Eliezer, etiam ipsam ex osculo Jehovae „obiisse. Cur autem adjectum non est: super os Je„hovae? — quia id sepulcro ejus non conveniret" (quia non congruebat dicere, matronam ex osculo Jehovae obiisse) „De Benjamin dicitur : dilectus Je„hovae secure apud ipsum habitabit", (Deut. 33, 12.) „Quipiam addunt Davidem, quia de ipso scriptum est: „caro mea quiescet secure" (Ps. 16, 9). Ex his, uti ex illa supra memorata circumspectione et cautione Petri Act. 2, 29., ac ex ipsa quoque Petri et Pauli refutatione hujus sententiae, Davidis corpus non fuisse corruptum, Act. 2, 30 seqq., et 13, 35 seqq., liquet, multos Judaeos existimasse, Davidem Ps. 16, 9—10. suam propriam incorruptionem seu resurrectionem a morte praedixisse. Qui ita sentiebant Judaei, ab Apostolis moniti, sepulcrum Davidis, adhucdum superstes, docere, corpus ejus fuisse corruptum, eo adduci poterant, ut praedictionem intelligerent de Messia, et statuerent, Davidem id ex persona Messiae

vaticinatum esse, unde argumentum Petri et Pauli vim nanciscebatur. Plura de expositionibus hujus generis, exposito demum Ps. 22. subjungemus.

Ps. 22.

Praefecto musicae. Ad primum aurorae ortum. 1) 1

Psalmus Davidis. 2)

Deus meus! Deus meus! cur me deseris? 2
Longe ab auxilio meo sunt sermones rugitus mei.
Deus meus! clamo interdiu, et non exaudis 3), 3
Et noctu; nunquam est mihi silentium.
Tu tamen es sanctus,
Habitans inter hymnos Israëlitarum. 4)
Tibi fidebant majores nostri, 5

---

1) אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר; Ligthfoot ad Marc. 16, 2. ex Thalmude adducit אַיַּלְתָּא דְשַׁחְרָא de primo aurorae ortu, et أَوَّلَة notat primum, principium, cf. vers. Arab. Matth. 12, 45.

2) An Psalmus sit Davidis, absoluta explicatione videbimus.

3) וְלֹא תַעֲנֶה et non respondes, nempe: votis meis, i. e., exaudis; ita جَابَ med. Vau secuit, laceravit; III. responderunt invicem; IV. responsum reddidit, et annuit, morem gessit, ac X. responsum dedit, acceptam habuit, exaudivitque precationem.

4) Tu tamen sanctus. i. e., venerandus es, ab Israë-

Tibi fidebant; et eripiebas eos;
Ad Te clamabant, et liberabantur, 6
Tibi fidebant, et spe non frustrabantur. 5)
Ego autem sum vermis et non vir, 7
Opprobrium hominum et contemtus a populo.
Omnes videntes me subsannant me; 8
Hiant labiis, agitant caput. 6)
(Dicentes:) Fidit Jehovae 7); liberet eum, 9
„Eripiat eum, quia se eo oblectabat."
Omnino 8) tu me ex ventre extraxisti 10

---

litis hymnis cultus, et eos alioquin exaudiens, ut mox in sequentibus diserte dicitur.

5) לא בושו non pudefiebant, i.e., spe non frustrabantur; בושו pro בָּשׁוּ, a בוש; quod etiam alias in Aoristo primo Cholem retinet, ut Ezr. 8, 22. Job. 6, 20.

6) V. 7—9 opponuntur prioribus: Tu es sanctus, ab Israëlitis cultus, qui majores meos, tibi fidentes liberabas: me autem, qui ab infantia mea totus a te pendeo, et te invoco, non eripis, sed contemtui relinquis. Ex his adparet, calamitatem fuisse diuturniorem.

7) גֹּל אֶל יי, supple דַּרְכּוֹ, ut Ps. 37, 8., volvit ad Jehovam nempe viam suam, i. e., studium et curam suam Deo commisit, seu Deo fidit, ut Alexandrinus vertit. — גל (גָּלֹל:) est modus infinitus pro finito, ut Ps. 8, 2. Exod. 20, 2. Prov. 36, 2.

8) כִּי in hac orationis serie est certe, omnino,

Securum me praestitisti ad ubera matris meae. 9)
Ex utero ad te conjectus sum 10); 11
A ventre matris meae tu es Deus meus.
Ne sis longinquus a me 11); 12
Propinqua enim est angustia, nec est adjutor.
Tauri multi circumdant me, 13
Robusti Baschanis 12) cingunt me.
Os suum contra me aperiunt. 14

---

uti Num. 22, 29. 33. Deut. 15, 11. Jos. 22, 7. Jud. 6, 16. 1 Sam. 2, 16. 10, 19. cf. Noldii Concord. Part. p. 368. — גֹּחִי extrahens me, ut Ps. 71, 6. גּוֹזִי eripiens me, et alia similia Participia: אוֹר Prov. 4. 18. lucens; קוֹמִים 2 Reg. 16, 7. surgentes; בּוֹשִׁים Ezech. 32, 30. erubescentes; — גֹּחַ est a גִּיחַ vel גּוּחַ intransitive prorupit, et transit prorumpere fecit, extraxit.

9) מַבְטִיחִי fidentem me faciens; fidentem autem facit, qui securitatem praestat.

10) Sensus est: tibi, tanquam patri, natus sum; pater enim, infantem natum in genua suscipiens, se esse patrem profitebatur. Cf. Ps. 71, 6. Gen. 50, 23. 16, 2. 30, 3. Job 3, 13. 20, 12.

11) Longinquum esse, est denegare auxilium Ps. 9, 1. 119, 155. Prov. 15. 29; contra propinquum esse, uti ad dexteram esse, est auxiliari, opem ferre.

12 Comparat feroces et petulantes hostes suos numerosos multitudini taurorum ipsum cingentium. פַּר

Sicut leones 13) discerpentes et rugientes.
Similis sum aquae, quae effunditur 14), 15
Disjunguntur omnia ossa mea;
Cor meum est sicut cera,
Liquescit intra viscera mea. 15
Robur meum sicut testa exaruit 16), 16

---

taurus, inprimis juvenis, cui primi dentes exciderunt, juvencus, qui est ferocior. אַבִּירֵי בָשָׁן sunt tauri, qui in pinguibus pascuis Baschanis fiebant ferociores. Cf. Jes. 34, 7. Deut. 32, 14. Ezech. 38, 18. Amos 4, 1.

13) Ante collectivum אַרְיֵה intellige Caph similitudinis; ellipsis satis frequens. Tauris multo terribiliores sunt leones, qui praedam quaerentes rugitu omnia animalia in consternationem et tremorem conjiciunt. Hac similitudine itaque psaltes timorem et et terrorem suum amplificat.

14) Describit nunc timorem suum: כַּמַּיִם נִשְׁפַּכְתִּי sicut aqua effusus sum; tropus durior, quo sistitur solutio artuum ex vehementi timore orta, sicut aqua effusa dissolvitur, nec cohaeret; id sequenti membro verbis propriis exprimitur.

15) Timentibus cor quasi cera liquefit, uti e contrario dicere solemus cor durum, quod timorem excludit; tropus hic saepius recurrit, ut Deut. 20, 5. 2 Sam. 17, 20. Nah. 2, 11. Ezech. 21, 12.

16) In permagno timore omne robur deficit, et quasi succus vitalis roboris exarescit; comparatio cum testa est hyperbolica. Cf. Ps. 32, 4. Prov. 17, 2.

Lingua mea haeret faucibus meis 17);
Ad pulverem mortis disponis me, 18)
Nam canes me circumdant 19), 17
Turma maleficorum me cingit 20),

---

17) Timentibus arescit palatum, ut loqui vix possint, quasi lingua faucibus adhaereret, cf. Job. 29, 10. Ezech. 3, *26*.

18) שָׁפַת occurrit 2 Reg, 4, *38*. Ezech. *24*, 3. de impositione ollarum super ignem, et Jes. 26, 12. de disponenda, praeparanda pace; pulvis mortis est sepulcrum, cf. v. 30,; sensus itaque est: relinquis me morti, ab hostibus interficiendus mihi videor.

19) Redit ad hostes, eum circumdantes, quos nunc canibus comparat, qui non solum nomadibus ad depellendas belluas, sed etiam in urbibus sunt praesertim noctu feroces, et homines furiose adoriuntur, D' Arvieux III. 220. Tournefort II. 308. Denon 47 — 48. Odmann VII. 22. Si quis post similitudinem taurorum et leonum comparationem cum canibus, etsi ferocibus, justo minorem existimat: cogitet canes venaticos, feras summa cum rabie persequentes, de quibus cf. Kaempferi Amoenitat. exotic. 131.

20) הִקִּיף est a נָקַף نقف valido ictu percussit, diffregit caput, verum Syris est adhaesit, propinquus fuit, quod non procul distat a notione cingendi, quam h. l. postulat parallelum

Foedabunt 21) manus meas ct pedes meos.

---

in membro praccedenti סָבַב, se vertit, circumivit, circumdedit.

21) כָּאֲרִי sicut leo, vel collective sicut leones, aut sicut leonem, nempe cingunt, vel contundunt, est lectio omnium codicum, exceptis fortasse duobus non suspectis; attamen vix commodum sensum fundit, et est omnibus vetustis interpretibus ignota, excepto Chaldaeo, qui tamen, etsi ceteris recentior, jungit verbum נָכְתִין mordentes, uti omnes reliqui antiqui Verbum exprimunt, quod etiam praecedentia membra parallela postulant. Participium כָּאֲרֵי tantum unius alterve codex sistit, et fortasse Chaldacus expressit. Pro כָּרוּ vix ulla est auctoritas, quae non esset suspecta; Alexandrinus quidem vertit ὤρυξαν, et inde Vulgata, Arab. et Aethiop. foderunt, nec non Syriaca Pheschito בזעו; verum id etiam ex כארו extundi poterat; editiones, quae כרו sistunt, a Christianis curatac fuerunt, et suspectae sunt; codiccs aliqui hanc lcctionem, sed probabilius duntaxat ut Christianis propriam, annotant; loca denique Rabbinorum, eam commemorantia non satis certa sunt. — Aquila in secunda, ut vidctur, editione habet ᾔσχυναν foedarunt, vel ut in Syr. Hexapl. Ambrosian. פכַרו vinxerunt, prout etiam in 5 codicibus Bibliothecac Sanctae Hicronymi apud Martianaeum legitur; Symmachus in Syr. Hexapl. איך בעִין לְמֵאסַר sicut fortes ad vinciendum. Lcctio-

nem כארן memorat etiam Masora ad Num. 24, 9.; quod si id in aliquibus Masorae exemplaribus desideratur, meminisse oportet, vix ullum Masorae exemplar esse integrum. Pro כארן deponunt omnes veteres, quod itaque genuina censenda est lectio, quae decurtato Vau degeneravit in כארי, quod dein, ut Judaice magis orthodoxum, in codices propagatum fuit. — Hanc lectionem כארן conferunt aliqui cum كَارَ med. Vau, ut Aleph sit epentheticum, ut in קָאם Hos. 10, 14., רָאֲמָה Zach. 14, 10., רָאמוֹת Prov. 24, 7., שְׁאטִים Ezech. 28, 24., שְׁאטוֹת Ezech. 16, 57.; est autem كَارَ spirali forma cidarim obvolvit capiti, in II. etiam collegit, congessit, et in unum collectam suppellectilem mercesve colligavit, unde vinciendi notio, ab Aquila et Symmacho ac fortasse etiam ab Hieronymo expressa, facile derivatur. Alii conferunt permutato Aleph cum Ajin כְּעַר Chald. foedavit, quod in Thargum Nah. 3, 6. occurrit, et in Mischna Tr. Baba Kama c. 10. per Aleph scribitur, ut utrumque videatur permutari solitum fuisse; Syr. כְּאאַר est reprehendit, pudefecit, et כְּארתָא nigra, tetrica, unde foedatio derivari potest. Vertimus foedabunt, nempe per vincula; verti autem etiam posset vincient; revocanda vero in memoriam est observatio Grammatica, plura verba Hebraica non nisi conatum indicare, ut ex Ps. 17, 9. 69, 5. Jud.

Numerare possum omnia ossa mea 22) 18
Illi vero spectant, prospiciunt ad me 23),
Partiuntur jam inter se vestes meas, 19
Et super indumentum meum conjiciunt 24) sortem.

18, 9. Gen. 37, 21. liqnet, ut sensus sit, foedabunt, conantur foedare vel vincire, cf. meam Gramm. L. H. edit. III. §. 51. p. 152. nro. 1. — Locum hunc vexatum paucis expedivimus, qui plura desiderat, consulat meam Biblior. Hebr. editionem T. IV. p. 46 — 48., De Rossi Lect. Var. V. T. IV. p. 15. seqq. et Rosenmüller Schol. in Ps. T. II. p. 627 — 645.

22) אֲסַפֵּר Aoristus secundus saepe duntaxat potentiam indicat, ut Ps. 40, 6. 88, 9. Gen. 16, 10. Job. 38, 37. In singulis meis ossibus tremorem singularem sentio, ut ea dinumerare possim.

23) יִרְאוּ בִי vident in me desiderium suum opere completum, i. e., cum voluptate prospectant in me, ut verbum ראה, cum Beth praefixo constructum, fere semper exponendum est, cf. Ps. 37, 34. 54, 9. 118, 7. Obad. 12.

24) Verba hujus versus, ut praecedens v. 17. כארו, duntaxat consilium et conatum exprimunt; nam psaltes nondum est in potestate hostium, sed liberationem firma fide sperat; dicit itaque: volunt partiri --, et sortem conjicere, ac quasi jam partiuntur --- et conjiciunt, adeo certi sunt de mea pernicie.

Tu autem Jehova, ne sis longinquus a me, 20
Robur meum 25), festina ad auxilium meum.
Eripe a gladio vitam meam 26), 21
A potentia canum unicam meam. 27)
Salva me ab ore leonum 28, 22
Et exaudi me, a cornibus orygum 29)
libera me 30)

---

25) אֱיָלוּתִי robur meum, i. e., qui mihi robur et vires largiris.

26) נַפְשִׁי animam meam, i. e., vitam meam; notionem hanc frequenter recurrere, vix monitione indiget. Timet psaltes vincula et violentam per gladium mortem.

27) יְחִידָתִי unicam meam, nempe vitam, sicut Ps. 55, 17.

28) Rursus, ut supra, hostes comparat leoni, seu collective, leonibus, ut membro praecedenti cani, collective, canibus.

29) רֵמִים oryges; רְאֵם, רֵים nequaquam est bubalus ferus, sed ut رَئْم oryx, qui etiam dicitur بَقَر وَحْش bos ferus, cf. Bochart. Hierozoic, II. 333—366 ed. Rosenmüll. seu L. III. c. 27.; est caprae albae genus, cornibus instar cervorum sed planis, longis et acutis, velox, providum, saevum, cornupeta in feras et in homines; plura dabit Bochartus c. l. p. 357. seqq. et Pallas Spicileg. Zoolog. XII. 17.

30) עֲנִיתָנִי respondisti, i. e. responde mihi, i. e. exaudi me, constructio praegnans: exaudi et libera me.

Annunciabo fratribus meis nomen tuum 31), 23
In concione laudabo te. 32)
(Dicens) „Timentes Jehovam 33) collaudate eum, 24
„Universa progenies Jacobi glorificate eum,
„Timete eum 34) universa progenies Israëlis;

---

31) Fratres dicuntur omnes cognati, et etiam amici, inprimis si sunt ejusdem religionis, quos Arabes peculiari plurali dicunt اخوان. **Nomen Dei annunciabo**, i. e., depraedicabo gloriosam potentiam, quam liberando manifestat, quod membro sequente dicitur **laudabo te**.

32) **In concione**, in congregatione ad liturgiam, uti diebus festis consuetum erat. — בְּתוֹךְ **in medio**, idem valet ac **in**.

33) **Timentes Jehovam** sunt colentes Deum, iidem, qui in sequentibus membris dicuntur progenies Jacobi et Israëlis, et mox dicti erant fratres, uti annunciare nomen, laudare, glorificare et timere seu revereri, idem sonant.

34) גור, جار, **a via recedere, commorari alicubi**; ast cum praefixo Mem constructum, ut recte observavit Rosenmüllerus in h. l., **timere, revereri**, permutatur nempe cum יָגֹר, وجر **pavit metuitque ab aliquo**, prout טוב et יטב, רוע et יָרַע, et alia similia significatione conveniunt, aut permutantur.

„Quia non sprevit, nec aversatus est afflictionem
35) afflicti, 25
„Nec faciem suam ab eo abscondit 36),
„Sed clamantem ad eum exaudivit. 37)
De te erit hymnus meus in concione magna, 26
Vota mea reddam coram timentibus te 38);
Manducabunt mansueti 39) et saturabuntur, 27

---

35) עֱנוּת ἅπαξλ., ab antiquis interpretibus, ut videtur, ex contextu et parallelismo poëtico, exponitur de precibus, sed non est commoda derivatio hujus notionis ab עָנָה, quod est coll. عنى allocutus est, respondit, exaudivit, vel coll. عنا afflictus, humilis, demissus, oppressus fuit, ubi nihil de precibus.

36) הִסְתִּיר, contegit, vel abscondit faciem, qui precantis rationem nullam habet; non abscondit, qui precibus annuit. Cf. Ps. 10, 11. 12, 2. 27, 9.

37) בְּשַׁוְּעוֹ אֵלָיו in clamando ipsum ad eum, i. e., cum clamabat ad eum, seu clamantem ad eum.

38) Vota offerendi sacrificia eucharistica, ut Ps. 61, 9. 107, 23. 116, 14. 17 — 18. — יְרֵאָיו timentes, reverentes, seu colentes eum, loco te, consueta Hebraeis mutatio personae.

39) Ex sacrificiis eucharisticis parabantur convivia,

Laudabunt Jehovam quaerentes eum 40),
Reviviscet cor vestrum in perpetuum, 41)
Omnes fines terrae memorabunt, et convertent 23
se ad Jehovam,
Omnes familiae gentium coram te adorabunt 42);

---

ad quae etiam pauperes vocandi erant; hinc עֲנָוִים, quod proprie mites et mansuetos significat in scriptura saepius laudatos cf. Ps. 25, 9. 37, 11. 69, 33., quibusdam est suspectum; in codicibus quidem nulla reperta fuit varietas; ast interpretes antiqui omnes vertunt pauperes, et hos, ut putant, postulat etiam sequens saturabuntur. Ast in parallelo membro sequenti synonymo respondent quaerentes Deum, quales alias celebrantur mansueti. Hinc Chaldaeus recte habet עִנְוְתָנֵי humiles, mites, mansueti.

40) Quaerentes eum, דֹּרְשָׁיו, i. e., qui gratiam Jehovae quaerunt, seu in universa sua vitae ratione student, ut ei probentur.

41) יְחִי vivat, pro vivet, emphatice: laete reviviscet. — לְבַבְכֶם cor vestrum; in suffixo est mutatio personae. — לָעַד in perpetuum: semper cor eorum de Deo, Domino tam benigno, gaudebit. Cf. Ps. 69, 33.

42) יִזְכְּרוּ וְיָשֻׁבוּ recordabuntur et convertent se; memores hujus beneficii agnoscent Je-

Nam Jehovae erit regnum, 29
Et ipse dominabitur gentibus. 43)
Manducabunt 44), adorabunt coram eo omnes divites terrae 45), 30
Coram eo se inclinabunt omnes, qui descendebant in pulverem 46),

---

hovam, et convertent se ad eum non solum Hebraei sed omnes fines terraquei, omnes familiae gentium, nempe quae audient hanc ingentem et gloriosam liberationem.

43) Jehova per insignem illam liberationem manifestabit imperium suum in omnes gentes, cf. 96, 10. 97, 1. Obad. 21. Zach. 14, 9. His, quae v. 28 — 29. dicuntur, similia sunt, quae Ps. 86, 9 — 10. leguntur.

44) Manducabunt, nempe ex conviviis sacrificiorum eucharisticorum.

45) Divites: דִּשְׁנֵי אֶרֶץ pingues terrae; ita divites et se bene habentes compellantur non solum ab Hebraeis Ps. 92, 15. Deut. 31, 20., sed etiam ab Arabibus et Graecis, ut exemplis comprobat Rosenmüllerus in h. l. Hanc notionem etiam postulat oppositio, quae mox subsequitur.

46) Descendentes in pulverem sunt miseri, qui in illa calamitate jamjam in sepulcrum descensuri erant; pulverem سَفَاةٌ et تُرْبَةٌ etiam Arabes de sepulcro usurpant, cf. Rosenmüller in h. l.

Qui vitam suam salvare non poterant. 47)
Posteri etiam ipsum colent 48), 31
Adscripti erunt Domino in generationes 49),
Venient et annunciabunt justitiam ejus 50); 32
Populo nascituro, quia praestitit. 51)

---

47) וְנַפְשׁוֹ לֹא חִיָּה (Vau praefixum subit vicem Relativi) qui suam animam non vivificat, i. e. collective: qui in illa calamitate vitam suam salvare non poterant.

48) Hic Dei cultus etiam ad posteros transibit, quod in simili loco Ps. 86, 9 — 10. non legitur.

49) יְסֻפַּר adscribetur, seu adscripta erit progenies; verbum סִפֵּר in II. nunquam significare addere, adnumerare, adscribere, refutat locus Ps. 69, 27.

50) Justitiam ejus, quam nempe manifestavit liberando cultores suos ab immanibus hostibus.

51) Quia praestitit, כִּי עָשָׂה, quia fecit, nempe illa, quae sacer vates cecinit, praestitit, opere complevit.

Expositio Psalmi 22.

Inscriptio psalmum tribuit Davidi; hucusque tamen definiri non potuit illud tempus vitae ipsius, cui omnia, in his precibus memorata, apte convenirent, atque id movet dubium non leve, an inscriptio, quae ali-

unde recentiorem phrasim אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר exhibet, veritate nitatur. Expendamus argumentum psalmi.

I. Psaltes v. 2 — 12. conqueritur, sibi imploratum diuturniori jam tempore Dei auxilium denegari; majores, qui seculis elapsis Deo fidebant, ex calamitatibus liberatos fuisse, se autem, qui ab infantia totus a Deo pendebat, in afflictationibus suis esse contemtum, et ob ipsam suam in Deum fiduciam subsannari. II. Ab hostibus atrocissime minantibus, quasi a ferocissimis tauris, quasi a leonibus ad praedam terribiliter rugientibus (v. 13 — 14), quasi a rabidis canibus, quasi ab orygibus (16 — 17. 20) cinctus est, quos vocat turmam maleficorum, qui manus pedesque ejus vinculis constringere, et ipsum gladio interficere conantur, atque jam spe certa vestes ipsius partiuntur et sorte dividunt (17. 19. 21); ipse interea timore et pavore exagitatur, de quo hostes ipsius laetantur. (15 — 16. 18). III. Preces suas repetit, spondet gratiarum actionem, et vovet sacrificia eucharistica (20 — 26), de quorum conviviis non solum Hebraei mansueti et Deo se probare studentes, sed etiam gentes a vero Deo alienae, quae ex hac insigni liberatione Deum agnoscent, (27 — 29), tam divites et se bene habentes, quam miseri, debiles, qui de vita periclitabantur, et ipsi se servare non poterant, participabunt (30), quorum etiam posteri Deum colent. (31 — 32)

Haec quidem pleraque Davidi, in seditione Absalomi profugo, utcunque conveniunt, inprimis fiducia in Deum et vitae periculum; verum illa

in Deum fiducia 2 Sam. 15, 26., longe a fiducia nostri psaltis distat, et periculum vitae nequaquam erat tam propinquum, quale in nostro psalmo sistitur; David enim paratum habebat exercitum strenuum qui pro ipso dimicaturus erat. Praecipuum vero est, seditionem Absalomi non fuisse tam diuturnam, quale est periculum nostri psaltis; unico enim praelio hostes profligati sunt. Accedit, Davidem in illa seditione nunquam fuisse ab hostibus ita cinctum, sicut se sistit noster psaltes. — Persecutiones Sauli erant quidem diuturnae, sed interruptae, celeriter transeuntes, et nequaquam continuae, et David nunquam ab hostibus diuturniori tempore undique cinctus erat. David denique ex liberatione ab Absalomo aut a persecutionibus Sauli spem concipere non poterat fore, ut finitimae gentes verum Deum agnoscant, et etiam earum posteri eum colant.

Si autem argumentum psalmi confertur cum periculo regis Hizkiae in irruptione Sancheribi, omnia aptissime congruunt, et cum aliis de hac liberatione psalmis, ut 118 et 138, ad amussim conveniunt, sive Hizkias ipse, ut Jes. 38, 9 — 20., sive alius, personam ipsius indutus, nostrum et illos psalmos 118 et 138 cecinerit. Nam I. calamitas erat diuturna, prout ex historia 2 Reg. 18, 13 — 19, 34. Jes. 36, 1 — 37, 38. 2 Paral. 32, 1 — 21. liquet. Hizkiam, etsi a Jesaia confirmatum, a plurimis popularibus fuisse contemtum, vix dubitabit, qui indolem illustris non minus quam plebeji vulgi novit, cf. Jes. 36, 11. 2. 2 Reg. 18, 26 — 27. Ipsius in Deum fiducia celeber-

rima est, cf. Ps. 118. ac 2 Reg. 18, 4 — 5. 2 Paral. c. 29 — 30., et a legato Sanchcribi subsannata legitur Jes. 36, 7. 10. 14 — 15. 18 — 20. 37, 10 — 14. 2 Reg. 18, 22. 25. 30 — 3 · 33 — 35. 19, 10 — 13. 2 Paral. 32, 11 — 20., prout noster psaltes v. 9. conqueritur. Denique rex Hizkias 2 Reg. 19, 15 — 19. Jes. 37, 15 — 20. prorsus ita precatur uti in nostro psalmo. II. Rex Hizkias reapse a minitantibus Assyriis longiori tempore circumdatus erat, prout psaltes se sistit; hostes enim omnes urbes ceperant, Libnam et Lachisch oppugnabant, et Jerusalem clausa erat, ac ad deditionem vocabatur; hostes quoque de sua victoria prorsus persuasi erant, Jes. 36, 6. 8 — 9. 2 Reg. 18, 23 — 24, ut de vinculis Hizkiae injiciendis, et de partiendis vestibus ejus cogitare potuerint et cogitarint. Pavorem, quem psaltes noster pandit, Hizkias exprimit 2 Reg. 19, 3 — 4. 14 — 19. Jes. 37, 3 — 4. 15 — 20. III. Solennem gratiarum actionem, quam in nostro psalmo spondet, legimus Ps. 118, ubi certe non deerant sacrificia eucharistica. Hizkias sperare quoque potuit, tam insigni argumento liberationis et protectionis divinae vicinis gentibus persuasum iri, Jehovam esse verum Deum; hinc, sicut in nostro psalmo, ita etiam 2 Reg. 19, 19. Jes. 37, 20. orat: salva me ex manu ejus, ut omnia regna agnoscant, te Jehovam esse solum Deum, cf. Ps. 138, 4 — 7. Reapse 2 Paral. 32, 23. refertur, permultos audita clade Sancheribi attulisse, non solum Hizkiae, sed etiam Jehovae munera in urbem Jerusalem, ac Hizkiam

fuisse magnum in oculis gentium. Liberatio haec profecto tam insignis erat, ut non potuerit non attentionem finitimorum populorum excitare. Prout videtur, etiam legati Berodach Baladini, regis Babylonis 2 Reg. 20, 12. seqq. Jes. 39, 1. seqq., Hizkiae non solum de recuperata valetudine, sed etiam de insigni illa liberatione ab exercitu Sancheribi gratulabantur, quod autem, timentes potentissimum regem Assyriae, prae se ferre nolebant, ne Sancheribum offenderent. Denique Aegyptios, contra quos Sancheribus exercitum ducere moliebatur, hanc liberationem Hephaisto seu Vulcano, quem Phta vocabant, et primam rerum omnium caussam existimabant, in acceptis retulisse, refert Herodotus II. 141., etsi narrationem, prout exspectandum est, suis mythis adaptaverunt et exornarunt, cf. Jes. 19. et Jablonski Pantheon I. 43 — 52. et III. 170 — 173.

Psalmum hunc a Judaeis aetate Jesu non fuisse de Messia explicatum, liquet ex Matth. 27, 43., ubi Judaei verbis versus 9ni Jesu in cruce illudunt, quod illis in mentem venire non potuisset, si psalmus de Messia explicatus fuisset. — Jesus quidem utitur Matth. 27, 46. Marc. 15, 34. verbis versus 2di, quibus conqueritur, se a Deo illi Judaeorum illusioni, ex hoc psalmo depromtae, relinqui, psalmum autem de sua passione non est interpretatus. Johannes in Evangelio 19, 24. scribit: *ἱνα ἡ γραφη πληρωϑῃ ἡ λεγȣσα, διεμερισαντο τα ἱματια μȣ ἑαυτοις, και επι τον ἱματισμον μȣ εβαλον κληρον.* Verum adcommodatio est, qualis cum eadem formula de Jes. 53, 4. occur-

rit etiam Matth. 8, 17., ut plures alias omittamus. Nec ullus unquam negavit, Hebr. 2, 11 — 12. similem et merum usum verborum v. 23. esse: δι ἣν αιτιαν ȣκ επαισχυνεται αδελφȣς αυτȣς, καλειν λεγων, απαγγελω το ονομα σȣ τοις αδελφοις μȣ, κ. τ. λ., ubi porro v. 13. adcommodatur Jes. 8, 17 — 18., et quam plurima alia V. T. loca simili modo ad longe alia transferuntur. Psalmus itaque in N. T. non explicatur de Christo, nisi forte locum supra adductum Joh. 19, 24. et allegationem Psalmi 16ti Act. 2, 25. 13, 24. aequiparare, et difficultatem, quae Act. 2, 25. 13, 24. seqq. premit interpretes, etiam ad Joh. 19, 24. extendere libeat, quam nunc, nostro nos modulo metientes, utcunque poterimus, solvemus.

Multa quidem V. T. loca in N. T. duntaxat certo modo adcommodata, seu ab auctoribus minime insciis sed consulto et data opera a nativo sensu ad alia similia significanda translata sunt, quorum verbis scriptores N. T. utuntur, sensum autem, quem in V. T. offerunt, in medio relinquunt et exponere nolunt; sunt autem non pauca loca alia ex V. T. adducta, quibus scriptores N. T. suam doctrinam probant, etsi in serie orationis V. T. alium sensum fundunt, ut supra Act. 2, 25. seqq. 13, 24. seqq. et Ps. 16. vidimus, cf. quoque Matth. 1, 22 — 23. 2, 15, 17. fortasse etiam Act. 3, 22. 24. 7, 37. Gal. 3, 16. etc. Non equidem ignoro, quae sit de his et similibus sententia eruditorum; mihi vero in his locum suum tenere videtur, quod in Germ. Introd. in LL. V. T. P. II. §. 82. p. 372 — 377. paucis adnotavi, Judaeo-

rum aetate Christi viguisse sententiam, quospiam inscios prophetasse, idque ex Joh. 11, 50 — 51. comprobavi, ubi Johannes sententiam Caiphae, summi sacerdotis: ἵνα εἷς ἄνθρωπος ἀποθάνῃ ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, alio sensu vaticinium esse affirmat. Atque id in Schemoth, R. I. disertis verbis scriptum docetur, ubi legitur: „dixit Rabbi Chema, filius Chaninae: filia Pha„raonis vaticinata est (Exod. 2, 6. vel 9,), „et „nesciebat se vaticinari.“ Ita etiam Bereschith Rabba 91 de responso filiorum Jacobi Gen. 42, 13.: nos omnes sumus filii unius viri, adnotatur: „splenduit in illis spiritus sanctus; dixerunt enim: „nos, et tu, omnes sumus filii unius viri,“ de quo sensu fratres Josephi minime cogitarunt. Idem etiam subest sententiae antiquorum Judaeorum de בַּת קוֹל, prout liquet ex iis, quae Otho in Lexic. Rabbinic. Philologic. 1757. p. 84. scribit: „Thalm. „Hierosolym. Schabbath fol. 8, 3. dicitur: R. Simeon „ben Lachisch et R. Jochanan desiderarunt videre „faciem Samuelis (qui erat doctor Babylonicus), se„quamur, inquiunt, Bathkol (בַּת קוֹל). Juxta scho„lam ergo itinerantes audiverunt vocem pueri illud „(1 Sam. 25, 1.) legentis: וּשְׁמוּאֵל מֵת, et mor„tuus est Samuel; hoc observarunt, et sic eve„nit; nam mortuus est Samuel Babylonicus. Sic etiam „cum R. Jona et R. Jose profecti essent, ut visita„rent R. Acha aegrotantem, etiam sibi proposuerunt „sequi vocem Bathkol; in via audiverunt vocem foe„minae cujusdam dicentis ad vicinam suam: exstin„guitur lucerna; cui illa: ne exstinguatur

„lucerna Israelis. Quae verba statim tanquam „της Bathkol, in omen morbi interpretati sunt.“ Plura quidem, non ignoro, sunt genera Bathkol, quae fere pleraque cum ominibus idololatrarum conveniunt; ex adductis tamen exemplis adparet, Judaeos fovisse sententiam, verba alio sensu prolata, quae alio sensu in rem, quam meditabantur, apte caderent, esse vaticinia. Ex hac itaque sententia etiam antiquos sacros scriptores interpretabantur, atque hanc esse rectam interpretationis normam, facile ex eo se posse concludere putabant, quod prophetae saepe ipsi profitentur, se non intelligere, quae vaticinantur, sed futuro demum aevo fore clara et perspicua, Jes. 6, 9 — 13. 29, 11 — 14. Jer. 23, 20. 30, 24. Ezech. 33, 33. Dan. 7, 28. 8, 27. 12, 8 — 9. Zach. 2, 13. 15. 4, 9. 6, 15. cf. 1 Petr. 1, 10 — 12. 2 Petr. 1, 19. Hinc patet, qua ratione Petrus et Paulus Act. 2, 25 — 32. 13, 35, — 36. Psalmum 16, Johannes 19, 24. Psalmum 22, et alii scriptores N. F. quaepiam V. F. loca, quae in serie orationis a consilio illorum aliena erant, ob similitudinem bona fide in argumentum trahere, et hunc sensum Judaeis, eandem interpretationis normam probantibus, persuadere potuerint. Argumenta itaque hujus generis erant, ut dicere solemus, ad hominem, et vim probandi habent duntaxat eatenus, quatenus ad Judaeos illius aetatis referuntur. Huic observationi conciliabimus fortasse non paucos alioquin adversantes, si dicamus, providentiam divinam omnia ita disposuisse, ut antiqui sacri scrip-

tores sua sensa hac ratione exprimerent, et Judaei demum hanc interpretationis normam adoptarent, qua antiquorum sacrorum scriptorum effata ob similitudinem facile ita exponi possent, ut haec expositio a Judaeis probaretur.

Finis.

Menda graviora

In primo fasciculo

Pag.	Linea		lege
VII.	3	philologiae	philologicas
X.	in nota post 1	adde	27 et 72
57	2 *ab infr.*	Malach. 13,	Mal. 3,
119	*ult.*	فح	فعح
150	17	v a s t a v i t	v a s t a b i t
191	6	h c	h. l.
—	22	הכרתי	הִכְרַתִּי
242	7	نضل exemit	نَصَلَ exemit
289	3	rur-	rursus

In secundo fasciculo

Pag.	Linea		lege
10	*ult.*	a	d e l e
—	—	redact	redacta
13	12	doluit	doluit,
23	7	πη	τη
34	10	obinebit	obtinebit
48	23	sevus	servus
54	9	homicida	homicidas
56	7	מרעים	מְרֵעִים
58	23	interempto	interemto
68	18	Pr missio	Promissio
—	*ult.*	humanitatit	humanitatis
90	23	oonsumta	consumta
93	3 *ab infr.*	pradlxisset	praedixisset
101	17	ارقان	أُرقان
103	*penult.*	נקח	נְקָה
104	16 *ab infr.*	نقي	نَقِيّ
106	15	pracedit	praecedit
—	19	codd.	cod.
107	7	Jeohova	Jehova
—	13	occurit	occurrit
126	6	deseribitur	describitur
132	20	humiliato	humiliata
134	7 *ab infr.*	17. Deut. 10,	27. Deut. 18,
153	23	Assyriacoper multos	Assyriaco permultos
170	10	יֻדוּךָ	יוֹדוּךָ
172	9	لَبَّيه	لَبَّيْه
173	6	ומחקק	וּמְחֹקֵק

Pag.	Linea		lege
—	15	مَحْقُوقْ	مُحَقُّوقْ
177	*ult. in fin.* adde		, quae non respondet legislarori, qui in membro parallelo praecessit
178	*ult.*	אִיתָן	אֵיתוֹן
214	1	firmus	firmius
244	6 *ab infr.*	ominia	omnia
245	4 *ab infr.*	orirente	oriente
253	15	transit	transitive